
NGB
LRI
M
D


DISPUT

Medicina








3. XX. h

Præesse DISPVTATIONES *Prodesse*
et

PHYLOSOPHICAE, AC MEDICAE

super libros Aristotelis de memoria, & reminiscentia, physicis vtiles, medicis necessariæ duobus libris contentæ.

IOANNES GVTIERREZ DE GODOY COMPLVTENsis Academiæ phylosophiæ, ac medicinæ primarius Doctor, & magni capituli Cathedralis Giennensis Medicus, Author.

AD ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM D. D. Balthasarem de Moscoso & Sandoual, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Episcopum Giennensem, invictissimi Philippi Quarti Hispaniarum, & Indiarum Regis potentissimi à Consilijs.



CVM PRIVILEGIO,

Apud Petrum à Cuesta, Typographum Giennensem. Anno M.DC.XXIX

Suma del Priuilegio.

TIene priuilegio el Doctor Iuan Gutierrez de Godoy, Medico del Cabildo Eclesiastico de la ciudad de Iaen, para poder imprimir por diez años primeros siguientes desde el dia de la fecha del dicho priuilegio, vn libro intitulado: *Disputationes phylosophicæ, ac medicæ super libros Aristotelis de memoria & reminiscentia*: y que otro alguno no lo pueda imprimir sin su licencia, Como todo mas bien consta del dicho priuilegio firmado del Rey nuestro señor, y refrendado de Iuan Laso de la Vega su Secretario, en Madrid a siete dias del mes de Setiembre de 1628. años.

APROVACION DEL DOCTOR *Martin de Iauregui, Calificador dela Santa general Inquisicion, por comissión de los señores del supremo Real Consejo de Castilla.*

IVSSV Senatus supremi Regis, vidi, & perlegi Disputationes has phylosophicas, ac medicas super libros Aristotelis de memoria, & reminiscentia, per Doctorem Ioannem Gutierrez de Godoy (quem in Complutensi Academia me Rectore in ea florētem vidi) in quibus nihil, aut Fidei nostræ contrarium, aut bonis moribus dissonum reperi, quin potius illum typis dignissimum judico, & in lucem editum plurimum vtilitatis omnibus tam medicis, quam phylosophis allaturum certo scio, cum doctissimus eius author mentē suam in quæstionibus, tam phylosophicis, quam curationum difficillimis non solum vere, ac docte, ac erudite, sed etiam plane, distincteque aperuerit. Matriti in Parrochiali sancti Iacobi, die verò 10. mensis Iulij, anno Domini 1628.

Doctor Martinus de Iauregui.

APROVACION DEL MAESTRO *Fray Pedro de Oliuares, Calificador de la Santa general Inquiſicion, por comiſsion del ſeñor Licenciado don Iuan de Velaſco y Azebedo, Vicario general deſta Corte.*

IVSSV domini Licentiati Ioannis de Velaſco & Azebedo, Generalis Vicarij Regalis Curiæ, vidi, & attenta conſideratione perlegi opus cuius inſcriptio: *Diſputationes Phyloſophicæ, & medicæ ſuper libros Ariſtotelis de memoria, & reminiſcentia,* per Doctorem Ioannem Gutierrez de Godoy, & non modo nihil in eo, quod Catholicæ Fidei dogmatibus, nec non morum probitati, vel diſſonet, vel parum cõſonet comperi, quinimo vniuerſum opus, & phyloſophicæ diſciplinæ, artisque medicæ ſtudioſis valde proficuum, & magnum ipſius authoris pandens acumen, ingenijque mirificam dexteritatem iudicaui, qua propter opus quod in communem vtilitatem prælo mandetur digniſsimum puto. Matriti in Collegio ſancti Thomæ. 9. die Auguſti, anno Domini 1628.

Fr. Petrus de Oliuares.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENdißimo D. D. Balthaſari de Moſcoſo & Sandoual, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Epiſcopo Giennenſi, Philipi Quarti Regis potentiſsimi à Conſilijs.

EGREGIA *Principis (illuſtriſsime) laus: tale de ſubditis feciſſe iudiciũ, vt ſingulis poſsit digniſsima exiſtimatione tribuere. Scite profecto in panegyrico Plinius hoc virtutis genere Traianum extollit:* Fœlices illos, quorũ fides, & induſtria, non per internuntios, & interpretes, ſed ab ipſo te, neque auribus tuis, ſed oculis probantur. Conſecuti ſunt, vt abſens quoque de abſentibus nemini magis, quam tibi crederes. *Fœliciſsimus ergo iure mihi optimo viderer, ſi per hos laboris, & operæ fructus, quos vigilijs, atque lucubrationibus operi noctem addens comparaui, mea fides, qua nemini cedo, meaque qualiſcunque fuerit induſtria, tibi ſic innotuerit, vt placeat, placuerit vt probetur. Nullum equidem timebo detractorem: iam inuidos deſpiciam: nil maſtigẽ curabo, quamquam de vulgi inueterato more minæ iactentur, pericula intendantur vbique.*

Quid ni autem commentariolos, seu discursus, de memoria meos animo libentissimo tibi offerã, dicem, consecrẽ? est enim Principi tanto valde vtilis, immo necessaria memoria: eam namque phylosophi omni potentem, seu multi potentem, prudentiæque parentem nominant. Vnde Afranius in sapientiam dixit : Sophiam me vocant Græci, vos sapientiam vsus me genuit mater peperit memoria. *Et D. Augustinus, memoriæ thesauros, & immensum decus, quo vel maxime illustramur, mirari non desinit. Neque aliud (vt est in Alexandro) Othonem ad imperium euexit, quam quod quemque militum, in agmine, in stationibus, in itinere nomine compellabat suo, ex hoc gratiam, & studia hominum assecutus. Quomodo hoc sine memoria fieret? Nec Zoilum timeam me, quod tibi innatum, atque ingenitum est offerre calide obiectantem. Huic etiam Martialis noster ad modum facete respondebit, si te pro me alloquatur.*

Omnia cum tibi sint dono concessa deorum.
Si quod habes non vis: ergo quid accipies.

AD LECTOREM

NON immerito, lector candidissime, vererer, ne huiuscemodi vigiliarum, ac laborum meorum tenuis & exiguus fructus minoris æquo fieret, nisi res fere omnes (vt prudentes, ac circunspecti viri omnia acurate, & diligenter considerantes arbitrantur) virtute magis, quam magnitudine iudicandas, & metiēdas existimarem. Vnde ingeniosus poeta.

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Hac enim ratione quasi firmissimo fulcro nixus in animum in duxi has de memoria, & Anacardinæ vsu vtiles, ac fructuosas disputationes iam iam typis excudendas, ob operis tamen parvitatem, donec alia, quibus incessanter in vigilo, iniungerētur, oppresas in lucem edere decreui, vt assidua nocumenta, quæ ex exigua, aut potius nulla vsus confectionis Anacardinæ cognitione oriuntur, oportune

coerceri posſint. Si hoc per puſilum opus tibi, docte, ac erudite lector, arriſerit, quibuſdam quaſi calcaribus adhibitis ad lucubrationes eas ſtudioſis hominibus frugiferas, & iam diu mihi ſuſceptas, diligenterque elaboratas in medium proferendas infeſtinanter properabo: ſinautem non placuerit commodam mihi minus errandi facultatem præuebit, nam teſte Platone: *Errat rarius qui pautiora agit.* Et licet omnium difficillimum ſit ſeipſum aliquem noſcere, vt ait Mileſius, me tamen non latet multa forſan eſſe in hoc libro reprehenſione digna: *Difficile namque eſt* (aſſerente Galeno) *vt qui homo ſit non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorando, quædam vero male iudicando, quædam tandem negligentius ſcriptis traddēdo.* Et Crates Philoſophus: *Vt in omni malo punico granum aliquod putre eſt, ita nullus liber reperitur vndequaque purus a vitio.* Hoc autem, benigne lector, ne tibi in cauſa ſit, vt librum hunc, in quem totis meis viribus, ac nervis incubuiſſe fateor communi vtilitati proſpiciens vilipendas: reuoca, quæſo, in memoriam noſtrum Martialem ad Lauſum.

Triginta toto mala ſunt epigrammata libro.
Si totidem bona ſunt, Lauſe bonus liber eſt.

Et alibi ad Abitum.

Sunt

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura:
Quæ legis hic, aliter non fit Abite liber.

Quod si forte nonnulla eorum, quæ in libro hoc cõtinentur, tum defectu phylosophiæ, tum principiorum veræ medicinæ ignorantia tibi obscura, difficilia, falsa ve vissa fuerint, idem de illo ferre poteris iudicium, quod Socrates de Eracliti libro, nam interrogatus, quid de illo sentiret, hoc præbuit respõsum: *Quæ quidem intellexi præclara: arbitror autem, & ea quæ non intellexi.* Vale.



AD LIBRVM DE MEMORIÆ facultate illustranda, reparanda, & augenda, Auctore Ioanne Gutierrez de Godoy, Ecclesiastici Capituli Mentesani Archiatro,

EPIGRAMMA.

FOrtunate liber, viuacem temne cupressum,
AEternaque lini non patiare cedro;
Te mors nulla manet, seri neque funeris vmbra,
Vndaque læthæi nulla timenda vadi:
Nam modo læthæi exhausisti fluminis vndas,
Et premis arenti littora iniqua pede.
Arte potens Memori miseranda obliuia pellis,
Et docti renouas dogmata Simonidis.
Quid cerebri, & mentis vis præstantissima possit,
Viribus vtque suis polleat aucta, doces.
Nulla dies igitur Memori librum eximet ęuo,
Qui facit ęterna cuncta virere die.
Te Musæ plaudente manu, citaraque loquaci
(Quando immortales tu facis esse deas)
Te referent; illis referunt tua scripta parentem,
Est mater musis nam sacra Mnemosines.

I. D. S. S. I.
Scrib.



LICENTIATVS HIERONYMVS DE MADRIGAL ET GODOY, IN SVI ABVNCVLI OPVS.

EPIGRAMMA.

Gotthoides, hominum Deus est Epidaurus, ast hic
Corporibus solum est, ille medela animis.
Corporis ille cauet, quæ intentant vulnera mortem,
Gotthoides mentis vulnera iniqua cauet.
Macte ò Gotthoides, nam quas natura negauit
Diuitias homini, tu bonus arte paris.
Vim memorem ad mentis si tu medicamina præstas,
Nulla ętas poterit non memor esse tui.

PRÆ-

PRAECLARO MEDICO DOCTORI Ioanni Gutierrez de Godoy illustri scriptione de memoriæ facultate,& lethem,& lethum propulsanti.

Ode dicolos Tetrastrophos.

VIrtutis ingens Natus Apollinis
Insignis aris ille Epidaurijs
Non laude maiori refulsit,
Vt premeret radiatus astra;
Quam quod furenti corpora demserit
Morbo,atque morti,Primus & inuidi
Quod regna lethi subiugarit
Vi medica,genioque pollens.
Præclarus ipsa hac arte Cous senex
Famæ stupendam triuit adoream,
Et qui Philoctetæ vetustam
Arte fugat sauiem Machaon.
Sed non minori gloria te feret
Celsum triumpho nominis inclyti
O sanguinis Gotthorum Auiti
Fama,nouis meritis,Ioannes.
Vtràque clarus laurea Apollinis,
Non morte solùm corpora liberas
Rubiginem sed mentis arcens
Das animis sapiens medelam.
Te læta cernens ardua collibus
Mentesa lætis,non iuga frondea.
Non inuidet Pindo bicorni,
Non veterem colit illa Phœbum.
Tu Phœbus illi corpora reficis,
Et Phœbus illi das animis iubar,
Lethumque pellens atque lethem
Arte potens Memori refulges.

I.D.S.S.I.Scrib.

INDEX

CAPITVM, QVÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTVR.

Liber Primus.

Liber Secundus.

Cap.

DE



LIBER PRIMVS,

DE MEMORIA, ET REMINISCENTIA.

CAPVT I.

De dignitate memoriæ.

INSTITVENTI MIHI de præſtantiſsima mentis facultate (memoria inquam, quam pulcherrimum ingenij decus, ac prę-ſidium omnes indigitant) diſceptatiunculas aliquas conſcribere, merito optandus videbatur ille Ariſtotelis cala-

 mus,

mus, quæ non sepiæ alicuius succo, aut atramento, sed mente, & ingenio ab eo tingi solitum superbè deprecantes Græcos audieram; neque enim alius omnino quisquã tantis eius laudibus, ac ornamentis quanta eruditissimorum hominum litteris, ac monumentis, gentiũque omnium linguis celebrantur, expingendis par esse videtur; vt meus hic, vel minime ex omnibus, ea scribendo complecti posse videatur; cui tam fœlici liquore illisque gratiæ lenocinijs imbui haud quaquam contingit. Eius enim præsidio scientiæ omnes nituntur; non illæ duntaxat, quæ ab humanitate nomen inuenerunt; verumetiam illæ, quæ, aut in naturalium rerum cognitione versantur, aut mentem è mortalis materiæ cæno extractam, ad ęterni numinis contemplationem attollunt.

Me quidem, & si ab illis orationis, ac eloquentiæ ornamẽtis in re difficili, ac spinosa destitutum, iubabit tamẽ Augustissimam animi potentiam cæteris omnibus obiter tactam, litterarum monumẽtis celebrare, eamque è taciturnitatis densa, velut caligine, ac tenebris in lucem proferre; cuius fulgore res omnes, ac disciplinæ liberales potissimũ illustrantur. Hæc enim sola (si Iasoni Pratensi credimus) iucundam nobis, ac amabilem eorum vsuram præstat, quæ ęrumnosis studijs, ac laboribus sumus consecuti; estque promus, & condus omniũ

operum,

operũ, quæ in hac vita negotioſi conficimus, communis vniuerſorum ſenſuum arcula, & quid quid oculis conſpicimus, vel auribus haurimus; aut ipſa concipimus mente, fideliſsimè conſeruat.

Audio clariſsimum Philoſophorum parentem (Platonem inquã, in Theat. & in Atlantico) memoriam modo muſarum, & prudentiæ matrem; modo ſenſuum, ac mentis ſalutem, modoque Mnemaſynem, ſeu Deam appellantem.

Audio Plutarchum, lib. de educatione puerorum, & in Mario, qui eam diuinitatis antiſtrofon; hoc eſt diuinitatis ſimilitudinem, & diſciplinarum celulam penuariam nuncupat, muſarumque matrem, & genitricem, in fabulis ab antiquis fictam; hoc enigmate ſignificantes, nil perinde gignere, atque alere doctrinam, ac memoriam poſſe. Vnde Afrianus: [Sophiam me vocant Græci, vos ſapientiam, vſus me genuit, mater peperit memoria.]

Audio Marcum Varronem, lib. 5. linguæ Latinæ, qui memoriam à manando originem ducere teſtatur, & merito quidem, nam ab ipſa ad os quando aliqua recitantur, veluti emanatio quædam eſt.

Audio etiã Petrarcam, lib. 1. de remedijs vtriuſque fortunæ, dialogo 8. qui omnipotẽtem, ſeu multi potentem nominat.

Audio etiam Diu. Iſidorum, lib. 1. differentiarum, dicentem: [Rerum omnium theſaurus memo-

ria eſt,ipſa enim eſt cuſtos rebus inuentis, ipſa cogitatis,de qua ad liquidum difficile eſt aliquem diſputare,quia grandis eius perplexitas eſt,& animus ipſa eſt.]

Audio D.Auguſtinum, lib.10.cõfeſsio.cap.14. qui ventrem animi memoriam nominat, eſtque in ſacra Scriptura, & inter Sanctos communis metaphora, per ventrem animi memoriam intelligere: Proberuiorũ enim.22.& 18.& 19. [Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi cum conſeruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis.]

Audio Nicolaum de Cuſa Cardinalem, 7. lib. exortationum, cælum ipſam appellantem, agens enim de Regno humano, hæc protulit: [In hoc Regno reperitur cælum in quo ſunt omnia,& dicitur memoria,& quoniam mens à memoria dicitur, ibi ſunt omnia, quia memoria eſt imago ęterni Dei.]

Clariſsimũ denique Romanæ eloquentiæ Principem audio;qui eam locupletiſsimum rerum omnium theſaurum nominat, vnam de ſummis illis facultatibus,quas mirari natura nos voluit,ſcire autem noluit.

Sit ſane hæc memoriæ laus veriſsima,nullis orationis calamiſtris, nullaque verborum copia, aut elegantia laudari ſatis poſſe, vt ſi tam diuinæ facul-

tatis

tatis præſtantiam, ac diuinitatem verbis adornare non liceat, adorare ſaltem verecundo ſilentio (vt ita dicam) citra idolatriæ labem modo tamen, quo Chriſtiano permitti videatur, ac ſane ſilere ſatius foret fortaſſe, reique magnitudinem taciturnitatis inuolucris, cum Timante explicare, niſi dicentem Tobiæ Angelum audirem ſacramenta Dei, resque naturæ arcanas ad immortalem effectoris optimi maximi gloriam, decusque, quocunque dicendi genere eſſe per cenſendas.

Neque verò ſecundum rationem ſanctius, quidquã homini, aut ad capeſendas liberalium artium diſciplinas aptius, præſtantiusque memoria Deus impertijt. Itaque Hiarcas Gymnoſophiſtarũ Princeps memoriam à ſe ſuisque poſt Deum, maximè coli aiebat. Pythagoras verò eam, quodam beatitudinis, atque immortalitatis inter mortales genus eſſe exiſtimauit; monitusque à Mercurio vt peteret, quod vellet, immortalitate vna excepta, memoriam, & petijt, & impetrauit.

Quis verò naturæ artificium non ſuſcipiat, memoriæ ſedem, ac domicilium præcipuè in occipitio tanta ſapientia colocantis, hic illa ſagaciſsimũ mentis oculum fixit, haud paulò illis præſtantiorẽ, quos in fronte nõ nobis modo, verumetiam brutis animantibus conceſsit, illius enim atie, prȩterita omnia clariſsimè intuemur, ꝙ de Iano illo fabula-

rum monumentis celeberrimo poëtę tradiderunt.

Tanta sanè est memorię magnitudo, vt D. Augustinus, lib. 10. confess. nullum ingenij flumen, aut copiam tantam esse arbitretur, quod eam tacita cogitatione complecti posit, stupeatque vehemēter reliquos mortales alta montium, & ingentes maris fluctus, latißimosque lapsus fluminum, & Oceani ambitum, aut gyros siderum admirari, memorię verò thesauros, & immensum decus, quo vel maximè illustramur, neque mirari, neque discutere.

Quid enim sublata memoria disciplinis liberalibus, sciētijsq; fiet? Aut quid omnino homo sine eius subsidijs esse potest? ipsa enim vt inquit Vgo de S. Victore, li. 3. de anima: [Cōsors, & cooperatrix est rationis, quoniā sine ea ratio, neq; ad incognita procedere, neq; cognitorū scientiā retinere potest. Est nāq; vis animę accepta retinēs, pręterita repetens, elapsa recolligens.] Et alibi libello de fructu carnis, & spiritus: [Memoria est ad mētis intuitum imaginaria, quędam repręsentatio pręteritorum.]

Celius Rodiginius, lib. 6. lectio. antiqua. cap. 15. bonum vitę maximè necessarium, & thesaurum eloquētię nominat, vnde illis, qui memoria sunt orbati cōmune adagiū adiūgit: [Sepulchra legisse:] Quia eorum memoria mortuorum similis existit.

D. Isidorus, lib. 11. etymologia. cap. 1. [Memoria mens est, vnde immemores amentes dicuntur.]

Et

Et Macrobius in ſomno Scipi. lib. 1. c. 13. [Si quid in brutis ſimilitudinem rationis imitatur, non ratio, ſed memoria eſt.]

In protentis ſane numerandos credo Thraces, qui memorię, defectu vltra quatuor numerare neſciunt; bruto ſimiliorem reor Herodis filium Atticum, à quo cũ pater nulla arte humana impetrare poſſet, vt elemẽta litterarũ perdiſceret, vigintiquatuor puerulos coemit, hisq́; ſingulis litterarũ nomina impoſſuit, vt vſu, & cõſuetudine ignauiſsimę pecudis tarditatẽ ad alphabetũ percipiẽdũ excitaret.

Quis verò non truncos illos exiſtimet, quos, aut matris, aut ſeruorũ, aut nominis ſui cœpit obliuio: eſt omnino diuinum animę ornamẽtũ memoria, hominemq; pręſtãtibus ſcientijs expolitum illuſtrat, ac diuinis illis mentibus, quã ſimilimum redit, quapropter miremur, & quãto poſſumus ſtudio mẽtis aciẽ in eã intẽdamus, haud ignari priſcos mortales, ex eo ipſo, ꝙ rerũ magnitudinem, & naturę arcana mirarentur philoſophari, atque adeò ſcire cœpiſſe.

Quid porrò mirabilius, quam vnum hominem, quod de ſe ipſo ſcribit Seneca in procemio declamationũ memorię ſubſidio duo millia nominum eo ordine, quo erant recitata, eueſtigio referre potuiſſe, ſingulosque verſus à ſingulis datos cum plures, quã ducẽti efficerẽtur ab vltimo incipiẽtẽ vſq; ad primũ recitaſſe? Quã eximiũ id, ꝙ de Iulio Cęſare

prodit Plinius, lib. 7. hist. nat. c. 25. hominē grauissimo rerū bellicarum strepitu, tubisque circūfusum scribere pariter, ac legere, audire, dictare, & si nihil aliud ageret septenas pariter litteras cōcinare, totideq; amanuēses vno tēpore lasare potuisse? Quid ꝙ Eusebius lib. 6. c. 17. Originē Adimantium tāta memoriȩ vi prȩditū fuisse memorat, vt septē notarijs simul scribētibus, resq; tā recōditas, tātæq; eruditionis, quātū omnis posteritas stupescit, in defeso studio, ac labore dictaret? Quid ꝙ Muretus Corsum adolescentē triginta millia nominū incredibili mētis solertia, ac prōtitudine redere solitū deprædicat? Quid ꝙ de Themistocle refertur, qui Persicȩ linguȩ idioma anno vertēte perdidiscit singulari memoriȩ beneficio; cuius tāta vis erat, vt eorū oūm quȩ vellet recordaretur, eorū verò, quæ nollet nunquā posse nō recordari? Ego sane illū Boetiæ fontē circa flumen Orcomenon, quem meritis laudibus extollit Plinius, lib. 31. hist. natu. cap. 2. Hispaniæ nostræ optigisse optarem, è quo qui bibunt repēte sine arte, pulcherrimis memoriæ ornamētis instructi ad omne genus disciplinæ percipiendum idonei prosiliūt. Quam aquam Antonius ille Rabenas biberit ignoro, quem multa rerum millia stantem eo ordine, quo dicta fuerunt ætate sua retulisse narrat Sabelicus: & Cyneas ille, qui ad Senatū Romanū à Pirrho missus, postridie quā vrbē fuerat ingressus

vtriuſ-

vtriusq; ordinis viros nominatim appellauit, vt affirmat Seneca? Charmidem etiã (vt refert Plinius) quid tãdẽ potauerit existimatis; qui volumina, quę quis exegisset, legentis modo in bibliothecis repre sentabat? Et Luculus ille cuius meminit Cicero, qui quidquid audierat, aut viderat sic animo sepultum habebat, vt nos chartis ea quæ monumentis æternis mãdamus. Et Ortẽsius qui à Sisena prouocatus in autione persedit diẽ totũ, & oẽs res, & precia, & emptores ordine suo recẽsuit, argẽtarijs recognoscẽtibus, ita vt in nullo falleretur, vt astruit Seneca. Et Portius ille Latro, cui ita fœlix memoria natura erat, vt nũquã relegeret ediscendi causa, quæ in publico dicturus erat, sed illa simul scribebat, & ediscebat, vt idẽ Seneca asserit. Neq; verò Cyri memoria mihi tantũ placet; qui cũ innumerabiles copias, maximosq; exercitus duceret, militũ oũm nomina prontissimè redibat, vt refert Plinius. Neq; Mithridatis, quo nullũ Regẽ imperio suo infestiorem, grauiorẽq; sensit Populus Romanus, quiq; viginti duabus gẽtibus sine interpretè ius reddissé dicitur; quãtũ Iulij Cæsaris, quẽ Cicero tãta memoriæ gloria floruisse ait, nullius vt rei præter iniurias solas posset obliuisci, quarũ omnibus prope mortalibus solet esse memoria: eratq; apud illũ vulgare dicteriũ: [Nulla laudabilis obliuio, nisi iniuriarũ.] Sed iam his memoriæ laudibus relictis ad executiẽdam eius naturam accedamus.

CAPVT II.

Quid sit memoria naturalis.

SECTIO PRIMA.

Statuitur differentia inter memoriam sensitiuam, & intellectiuam.



VPLEX est in homine memoria, alia sensitiua, corporea, organo materiali afixa, generabilis, & corruptibilis, in materialis alia, ingenerabilis, & incorruptibilis, nullique organo corporeo insidens, sed animæ solum rationali, cui tanquam passio inseparabiliter inheret, hæc autem intellectiua appellatur, & est vna ex tribus animæ potentijs, etiam si id difficile, falsum ve Auicenæ compareat, 6. natura. par. 1. cap. 6. qui negat in parte intellectiua species conseruari, & consequenter esse memoriam; cuius sententiæ fundamentum vidit, & impugnauit D. Thom. 2. contrag. cap. 74. & eiusdem meminit Scotus, in 1. dist. 3. quæst. 6. & communiter Sancti Patres, & Scholastici Theologi eandem amplec-

amplectuntur sententiam cum D. Thom. 1. par. quæst. 79. art. 7. Vbi simpliciter, & absolutè fatetur in parte intellectiua reperiri memoriam; estque magis consonum nostræ fidei, & verè Philosophiæ; Lucæ enim. 16. cap. refertur historia Diuitis, qui recordabatur præteriti suorum scilicet fratruum; & quælibet anima memoria repetet, quę speciatim scelera perpetrauerit, vt est communis Theologorum consensus. Eandem tenet sententiam Arist. his verbis: [Benè quidem, qui dicunt animam esse locum formarũ, nisi quod non tota, sed intellectiua.]

Et ratione sic stabilitur, quia magis stabilis, & incorruptibilis, est natura intellectus, quam natura cuiuscunque sensus interioris (cum isti sint corruptibiles, intellectus verò incorruptibilitate donatus) sed sensus internus recipit, & cõseruat species post actualem sensationẽ, ergo potiori iure intellectus passiuus eas recipiet, & conseruabit.

Præterea, efficaci argumento firmatur; quia sæpè nobis in mentem venit intellexisse rem vniuersalem, quod non potest fieri per memoriam sensitiuam cum pacto nullo vniuersalium cognitionem attingere valeat.

Neque alicuius momenti est Auicenæ fundamẽtum, qui ex eo colligit nullam dari in parte intellectiua memoriam; ex inde enim inferretur, intellectum semper esse actu operantem, & intelligentem;

tem; cum potentia informata ſpecie ſufficiens ſit principium intellectionis.

Secundò, quia ſi ſpecies obiectorum conſeruantur in memoria, ita vt ratione illarum recordetur, non eſt, cur potius huius rei, quam illius ſit memoria, quæ argumenta eandem obtinent vim in memoria ſenſitiua; quam Auicena concedit, & eorum ſolutiones infra adducam.

Noſter autem ſermo eſt ſolùm de memoria ſenſitiua, non verò de intellectiua; hæc enim cum non pēdeat ex diſpoſitione aliqua materiali, tam quoad conſeruationem ſpecierum intelligibilium, quàm quoad actus ſuos non cadit ſub medicinæ obiecto; neque inficiari animus mihi eſt, animæ potentias ſpirituales, dum corpori anectitur, non pendere ex operationibus potentiarum, & ſenſuum materialium; hoc enim abſurdum eſſet; ſed eadem ratione, ac intellectus humanus, etiam ſi in ſua operatione dependeat ab actuali operatione phantaſmatum iuxta Ariſtotelis placitum. 3. lib. de anima, tx. 30. [Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.] Nihilominus, quia ſpiritualis eſt, & altioris ordinis ab his, quæ ſub medicinæ obiecto cadunt; medicus non agit de correctione intellectus, etiam ſi agat de ſymptomatum internorum ſenſuum caſtigatione, quia materiales ſunt, & organo corporeo inſident.

Eſt

Eſt igitur memoria ſenſitiua (vt ab eius definitione ordiamur:) [Animæ potentia actiua vitalis, quæ verſatur circa præteritum vt tale.] Quia autem Philoſophi omnes, & medici, qui de memoria loquuntur, ore vno vnanimique conſenſu ſtatuunt, eam eſſe theſaurum, ſeu receptaculum ſpecierum rerum omnium, quæ ſenſibus, & mente concipiuntur, vt conſtat ex Ariſtotele, lib. de memoria, & reminiſcentia, & ex D. Thom. 1. par. quæſt. 78. art. 4. vbi docet memoriam eſſe neceſſariam animalibus perfectis, vt conſeruet ſpecies inſenſatas, & ſit earum veluti theſaurus, & Galenus lib. de officina medici, cap. 4. idem aſſerit his verbis: [Nos autem in libris, qui de communi ratione ſunt tres hominibus in vniuerſum eſſe potentias demonſtrauimus; quibus ad artes conſtituendas, libroſque conficiendos vtuntur, ſenſum, mentem, & memoriam; atque in memoria quidem herere, ſeruarique quid quid mente, ac ſenſu conciperetur, cum ſingularum rerum naturam non inueniat, ſed earum, quæ inuenta ſunt receptaculum quoddam ſit.]

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

An memoria sensitiua sit potentia actiua, an vero solum passiua, receptiua, & conseruatiua specierum.

GRauis est controuersia, an memoria sit potentia actiua, an verò solùm passiua, receptiua, & conseruatiua specierum, Christophorus de Vega, lib. 1. artis medendi, cap. 5. censet solum esse potētiam passiuam, receptiuam specierum, & conseruatiuam ipsarum; quibus vtens æstimatiua, res absentes cognoscit, tanquam absentes. Idem sentiunt D. Ioannes Damascenus, lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 20. Gentilis fen. 1. 3. tract. 4. cap. 12. Capibacius, lib. 1. cap. 3. Ioannes Varte in examine ingeniorum, cap. 8. & 9. Toletus etiam lib. 3. animæ, quæst. 6. cap. 3. ductus authoritate D. Thomæ, cuius supra mentionem fecimus, probabiliorem decernit hanc opinionem. Ij verò omnes hoc potissimum fundamento nittuntur: Quia munus necessarium memoriæ, est recipere, & conseruare species rerum, quibus vtentes imaginatiua, & alij sensus interiores cognoscunt præterita, & ad hunc finem duntaxat concessa est huiusmodi potentia memoratiua animalibus, sed receptio, & con serua-

ſeruatio ſpecierum, ſolùm pertinet ad genus cauſæ materialis, & paſsiuæ, ergo memoria potentia eſt tantum paſsiua, & nulla ratione actiua.

Idem hac quoque ratione ſtabiliri, & confirmari poteſt; quia ſi memoria præter conſeruationem ſpecierum haberet aliquem actum, & cognitionem obiectorum præteritorum; ſequeretur ſemper eſſe in actuali cognitione omnium obiectorum, quorũ ſeruat ſpecies; ſed hoc cum experientia dicertat, ergo memoria non eſt potentia actiua; probatur ſequela: quia poſita ſpecie in potentia cognoſcitiua, & remotis omnibus obſtaculis, neceſſario adeſt ſenſatio, & cognitio omnium illarum rerum, quarum ſpecies impreſſæ fuerunt tali potentiæ (vt cõſtat in potentia viſiua, quæ res omnes illas ſimul videt, quarum ſpecies ſunt impreſſę in humore chryſtalino;) ergo ſi in memoria adſunt, & ſeruantur ſpecies plures inherentes ipſi potentiæ, & eſt potentia cognoſcitiua; neceſſario res omnes cognoſcet quarum ſpecies conſeruat; & huius rei hæc à priori ratio poteſt aſsignari; quia ſpecies impreſſæ, & potentia ſunt in actu ad operandum, & paſſum in potentia ad recipiendum, & eſt debita applicatio, igitur neceſſario ſequitur actio; vt docet Ariſt. 1. de generatione, cap. 9.

Vlterius confirmatur hæc ſententia, quia actus circa præteritum, vt ſic cum aliquo diſcurſu, qui

dicitur

dicitur reminiſcentia, fit vtente ęſtimatiua, ſpeciebus memoriæ, ergo ſimiliter actus circa præteritum, vt tale, ſolùm fit ab imaginatiua; nec eſt, cur memoriæ actiuitatem tribuamus; antecedens patet, quia ſolùm ęſtimatiuæ inter ſenſus internos datum eſt, aliquomodo diſcurrere, ergo nulla ratione fit à memoria actus circa præteritum cum diſcurſu.

Hæc tamen præſtare minime poſſunt quin veriorem arbitrer ſententiam aſſerentiũ memoriam, non ſolùm rerum imagines conſeruare, ſed ſimul eſſe potentiam actiuam cognoſcentem, huic adſtipulatur ſententiæ Diuus Thom. multis in locis, ſed præcipuè in 4. diſt. 14. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 4. his verbis: [Dicendum, quod quamuis pœnitentia ſit de præterito, ſicut memoria, tamen reſpicit affectum, memoria autem eſt potentia purè cognoſcitiua, & ideo in ea nõ poteſt eſſe pœnitentia, &c.] Et 1. par. quæſt. 79. art. 6. poſsitis duabus acceptionibus memoriæ aſſerit, quod ſi ſumatur pro conſeruatiua ſpecierum eſt in parte intellectiua, ſi verò de ratione memoriæ ſit, vt eius obiectum ſit prę teritum, vt præteritum, memoria in parte intellectiua non erit, ſed ſenſitiua tantum, quæ eſt apprehenſiua particulariũ, in quo loco non vult. S. Tho. duas eſſe memorias, alteram conſeruatiuam ſpecierum, & alteram cognoſcitiuam, ſed eandem

memo-

memoriam,quia diuersa munera obit, illis duobus modis accipi posse,&diuersis appellari nominibus, & 2. cõtra gentes,cap.74. docet memoriam in parte sensitiua esse locandam, quia est alicuius, prout cadit sub determinatũ obiectum, non enim est, nisi præteriti, idem tenet in 1. dist.3.q.4.art.1.ad 2. & 1.p.q.78.art.4. eiusdem sententiæ est Arist. lib.de memoria,&reminiscentia,cuius hoc est exordium: [De memoria autem, & ipso meminisse dicendum quid est,& propter quam causam fit.] Vbi proponit esse acturum de memoria,& eius actu,nimirum meminisse,& qui attento animo totum librum perlegerit, facile intelliget Aristotelem semper agere de memoria,vt de potentia actiua. Auicena itidem lib.6. naturalium, eandem tuetur sententiam, his verbis: [Thesaurus apprehendentis intentionem est virtus custoditiua, quæ virtus vocatur etiam memoralis propter velocitatem suæ aptitudinis ad recordandum.] ExNeotericis insuper idem amplexantur Fernelius lib.6.Pathologiæ,cap.8.Capibacius lib.1.c.12. Vallesius.3.de locis affectis,c.2.& 1.controuersiarum.c.22. & ratione fulcitur, quia memoria est potentia vitalis procedens ab anima secundum gradum vitæ nimirum sensitiuum, ergo habet actum vitalem, sed iste actus vitalis non est conseruatio specierum, quia hoc ad genus causæ materialis spectat,erit igitur cognitio præteriti, vt

præteritum est, primum antecedens veritatem præ se ferre videtur, cum negari non posſit memoriam eſſe animæ ſenſitiuæ propriam potentiam, quæ ad operationem,& exercitium ſuum neceſſario ſuppo nit ſenſitiuam cognitionem, conſequentia autem patet facta inductione per alias potentias vitales, quæ actiuæ ſunt omnes. Igitur, & memorari actus erit vitalis potentiæ actiuæ, nulla enim eſt ratio, quæ conuincat alias potentias vitales eſſe actiuas, ſecus autem memoriam; neque verò in memoria reſidet, quid ratione cuius repugnet eſſe potẽtiam actiuam,vt contemplanti fiet manifeſtum.

Confirmatur,quia vita ſemper ſumitur pro operatione,vt conſtat ex Ariſtotel.2.lib.animę,cap.2. his verbis: [Vitam dicimus accretionem nutritionem,&c.] Et 8. lib.phiſicorum, tx.28. [Vita eſt moueri à ſe.]Et 8.Ethicorum,cap.9.[Viuere principaliter eſt ſentire, vel intelligere.] Diu. Thom. 1.par.quæſt.18. art.1.& 2. [Ea ſunt vniuerſaliter viuentia, quæ ſecundum quamuis ſpeciem motus ſe ipſa poſſunt mouere.] Si igitur vita ſumitur pro operatione,non ergo poteſt intelligi potentiam aliquam eſſe vitalem,& actiuitate carere.

Sed à priori ſic probatur dicta ſententia, quia viuere eſt à ſe moueri (vt docuit Ariſt.loco citato) illud enim ens, quod habens omnem perfectionem ſibi debitam poteſt ſe mouere, eſt viuens; ergo potentiæ

tentiæ huius entis, quatenus tales sunt debent se ipsas mouere, sed memoria est potentia viuentis quatenus tale viuens est; ergo memoria non potest esse mere receptiua, sed debet esse principium motus, aut operationis, nomine autem motus operationẽ in præsenti intelligimus, & per mouere operari.

Præterea, superfluum est constituere potentiam vitalem pafsiuam solùm propter receptionem, & retentionem specierum cum pofsint sufficienter recipi, & conseruari in quantitate cerebri media dispositione qualitatuum illius organi.

Suffragatur nostræ sententiæ Pater Suarez tomo 2. methaphisicæ, disputatione 47. sectione 2. à tx. 3. vsque ad 8. vbi grauifsimis argumentis probat nullam potentiam existere in rerum natura purè pafsiuam, quæ sit qualitas, ergo cum memoria potentia sit de prædicamento qualitatis, in omni opinione, necessario actiuitatem habebit.

SECTIO TERTIA.

Aliquot obiectiones contra stabilitam sententiam proponuntur, & soluuntur.

DIces intellectus agens est potentia vitalis, & nullum habet actum vitalem, cum nullum alium habeat nisi productionẽ speciei, quæ vitalis

non eſt, ſed mere naturalis, cum neque ſit cognitio, neque dependeat ex aliqua cognitione talis potentiæ, eo quod omni actu cognoſcitiuo careat, vt eſt communis conſenſus philoſophorum: non igitur opus erit potentiam vitalem eſſe actiuam.

Reſpondetur negando antecedens, nam productio ſpeciei intelligibilis eleuando phantaſmata, actio eſt vitalis, non enim eſt neceſſarium ad actionẽ vitalem, vt ſic cognoſcitiua, ſed ſufficit ſi procedat ab aliqua potentia ſecundum gradum vitæ, etiam ſi talis non ſit cognoſcitiua, vt conſtat in actibus vtriuſque appetitus, rationalis, & ſenſitiui, & in actibus vitalibus animæ vegetatiuæ, quæ res manifeſto exemplo præcipuè probari poteſt, nam plures actiones ſunt in intellectu poſsibili, quę ſunt vitales, & non ſunt cognoſcitiuę, vt ſunt productiones habituum intellectualium, quę quamuis oriantur ex cognitione, non tamen ſunt formaliter cognitiones.

Dices, potentiam purè paſsiuam haberi, vt recipiat in ſe eſpecies, & ſit ſubiectum ipſis proportionatum, qua ratione omnes vnanimi conſenſione autumant, ſenſuum externorum ſpecies immediatè ſubiectari in ipſis potentijs, & non in quantitate; tùm etiam, vt recipiat in ſe actionem vitalem, qua in ipſa producuntur ſpecies impreſſę ab alijs potentijs vitalibus.

Sed

Sed respondetur ad primum, ideo subiectari species sensuum, & intellectus immediatè in ipsis met potentijs, & non in quantitate, quia ex ipsamet specie, & potentia efficienter gignitur notitia, & sic intimè, & immediatè debent vniri, etiam si aliàs quãtitas subiectum sit capax recipiendi tales species inhesiuæ.

Dices, non opus est speciem vniri cum potentia per inhæsionem, vt talis potentia operetur, sufficit, enim, vt species sit ei proportionata, & in distans, vt sit principium actus vitalis, nam essentia diuina per modum speciei concurrit cum intellectu beati ad visionem beatificam absque aliqua informatione, & Angelus cum suam intelligit substantiam, etiam per modum speciei concurrit ad cognitionẽ sui ipsius.

Respondetur, quando species sunt accidentia necessario in potentijs subijciuntur immediatè, nã si tales debent intimè cum illis coniungi vt operentur, & potentię sunt proportionatum subiectum inhæsionis illarum, non est cur vnionem, & inhæsionem specierum cum potentijs inficiemur, tamen si species entia completa sunt substãtialia, tales quia neque inhærere, aut vniri possunt potentijs, cum quibus operantur, sufficit vt illis intimæ, & indistanter coniungantur.

Ad secundum respondetur, non esse necessariam

talem potentiam adhoc, vt recipiat actionem vitalem, quia in subiecto non viuenti potest recipi actio vitalis intrinsicè: vt constat de generatione, & nutritione, quæ intrinsicè in materia prima recipiuntur.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur argumenta oppositæ sententiæ.

AD argumenta oppositæ sententiæ ad initium adducta respondetur, & primo ad authoritatem Galeni ex lib. de officina medici, seu de his, quæ in medicatrina fiunt, dicendum est, verum esse memoriam conseruare species illarum rerum, quæ assensu, & mente concipiuntur, & similiter memoriam per se solam non inuenire aliquid, hoc autem euenit, quia indiget auxilio alterius potentiæ prioris cui subordinatur, quia necessario debet præcedere actus ęstimatiuæ, aut imaginatiuæ, à quo producatur species impressa in memoria, & hoc vult Galenus, quando docet, non inuenire memoriam singularum rerum naturas, sed eorum, quę inuenta sunt receptaculum quodam esse, non tamé inficiari contendit memoriam esse potentiam cognoscitiuam.

Ad authoritatem D. Thomæ respondetur ex eo

quod memoria ſeruet rerum ſpecies non negare alium vſum, vt ex ipſo probauimus.

Dices ęſtimatiua non operatur, niſi interueniente prius actu alterius potentiæ cognoſcitiuæ, nimirum ſenſus communis, & ſimiliter ſeruat ſpecies, vt infra probabimus; ergo eadem ratione poſſumus dicere, non inuenire rerum naturas, neque eſſe aliquid diſtinctum à memoria, aliud igitur in præfatis verbis vult inſinuare Galenus.

Reſpondetur, quod licet ęſtimatiua ſupponat potētiam anteriorem ad ſuam operationem, adhuc tamen inuentio rerum illi tribuitur: quia eſt prior potentia cognoſcitiua, quæ diſtinctæ cognoſcit interuentu alicuius diſcurſus, & diſcernit, atque iudicat inter res, quæ illi propoſitæ ſunt ab antecedentibus potentijs.

Ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ, reſpondetur, non benè colligi ex eo quod memoria conſeruet rerum ſpecies, ſolùm eſſe potentiam paſsiuam; nam intellectus paſsiuus eas retinet, & conſeruat, & vnanimi conſenſu omnes fatentur eſſe potentiam actiuam. Præterea philoſophi omnes (quos ego viderim) cenſent cum Ariſt. 3. animę, cap. 3. Imaginatiuam conſeruare ſpecies ſenſatas nam inter alia, hoc eſt illi peculiare vt liceat nobis quando volumus imaginari, & nullus negat eſſe potentiam actiuam.

Ad secundum respondetur, negando sequelam; & ad probationem dico, quod licet memoria conseruet plures species diuersarum rerum, non infertur habere cognitionem actualem omnium illarũ; quia præter informationem specierum opus est peculiari concursu animæ ad dictam cognitionem, qui concursus dicitur aduertentia; defectu cuius, etiam si species informet potentiam, non resultat actio, vt pluries in potentia visiua experimur apertis oculis non videri aliqua obiecta præsentia ob in aduertentiam: nam cùm anima sit limitatæ naturæ, si distrahatur actionibus plurium facultatum nõ potest aduertere tot actibus memoriæ, ideo illarũ rerum duntaxat recordatur, quarum, aut intensiores sunt species, quæ excitant animam, vt cõcurrat cum potentia, aut quarum adest aliqua causa externa, quæ occasionaliter excitet memoriam, & animam ad actum memoriæ.

Ad vltimam confirmationem respondetur, ex D. Thom. 1. par. quæst. 78. art. 4. Memoriam discursum quendam habere in homine ex propinquitate ad intellectum, & sic non esse necessarium, vt actus ęstimatiuæ sit reminiscentia.

CAPVT III.

Quod ſit organum memoriæ.

SECTIO PRIMA.

Opinio Plinij exiſtimantis memoriæ ſedem eſſe aurem.



VANTI ponderis, & momẽti ſit in curatione morborum affectam particulam cognoſcere, docuit Galen. 3. lib. de lo. afec. cap. 2. exemplo læſæ memoriæ, his verbis: [Cum deperditam cuiuſdam memoriam reſtituere conarer, primum quidem apud me ipſum inveſtigaui, quænam pars eſſet affecta cui topica, ideſt, localia remedia vocata adhiberem.] Sic placuit in præſenti capite anteà quam læſæ memoriæ ſymptomata, cauſas, & curationem proponam, ad vnguem examinare, quod ſit organum, quæ ve ſedes huius facultatis; tùm, vt illorum omnium naturam magis penetrare poſsimus; tùm, vt patienti parti localia medicamenta, pręmiſſa prius vniuerſi corporis curatione (qua ra

tione fecit Galenus) applicentur; ne forsan in Archigenis errorem incidamus, qui cum pro certo haberet memorię sedem esse cor, capiti tamen remedia imponebat, teste Galeno eodem capite.

Plinius lib. 11. historię naturalis, cap. 45. aurem esse memorię sedem, his verbis ostendit: [Est in aure ima memorię locus, quem tãgentes attestamur, & post aurem ęquæ dextram Nemesios: quæ Dea Latinum nomen: ne in capitolio quidem inuenit: quo referrimus tacto ore proximum à minimo digitum veniam sermonis à Dijs exposcentes.] Et Pierius Valerianus, lib. 32. Hieroglyphicorum, cap. de aure: [Consecrata enim auris est memoriæ, ne scilicet eius memores, nos vlcisci velint.] Et Virgilius Egloga 6.

[Cum canerem Reges, & prælia, Cinthius aurem
Vellit, & admonuit: pastorem Tityre, pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.]

Vbi Seruius: aurem, quæ memoriæ consecrata est, & Cerda, quia est in ima aure memoriæ locus: sic aurem vellere, idem est, quod suscitare memoriam, quem modum loquendi communem esse, ex Plinio, Seneca, Seruio, Erasmo, Mureto, & alijs probat.

Hæc tamen sententia, præter quam nullum Principem patronum, philosophum, aut medicum habet, falsitatis facile potest conuinci, nam quotidie experi-

experimur, magnam læſionem imam aurem pati, ab intemperie frigida in illis omnibus ęgrotantibus, qui ex tali cauſa ſurdi fiunt, nullo ſecuto incommodo in memoria. Probabo autem infra, lib. 2. cap. 2. frigiditatem primum locum tenere in læſione memoriæ.

Plinius, autem, & alij authores in dictis locis, prouerbialiter locuntur ſignificantes illo ſigno aurem alicui vellere, idem eſſe, quod admonere aliquem, vt caſtigatius viuat, vt docet Ammianus lib. 22. Nam vt olim frons ſacrata Genio digiti Mineruæ; genua miſericordiæ, ita auris memoriæ Deæ. Vnde tractum prouerbium à priſco ritu, vt vult Eraſmus, quo in ius ducturum quempiam, aurem vellicabãt, quem eſſe voluiſſent teſtem, aientesque, eſto memor. Sic referunt Conimbricenſes problemate de auditu.

SECTIO SECVNDA.

Opinio exiſtimantium ſenſus internos diferre locis pro diuerſitate ventriculorum cerebri.

RElicta Plinij opinione in omnibus medicorum ſcholis paſsim celebre eſt, ac decantatum tres eſſe internos ſenſus, nimirum, imaginatiuam, ęſtimatiuam, & memoriam, & eorum quem-

quemlibet proprium organum in cerebro posside-re; secundum triplicem numerum ventriculorum: qui in ipso reperiuntur, existimantque imaginatio-nis sedem esse anteriorem cerebri partem, estima-tiuæ mediam, memoriæ verò posteriorem, in occi-pitio. Huius sententiæ sunt Aetius tract.2.serm.2. cap.2. Actuarius initio suæ Methaphisicæ, & Aui-cena, licet maiorem numerum sensuum internorũ constituat, quia distinguit sensum communem ab imaginatiua, tamen operose admodum conatur ostendere has potentias differre locis in cerebro. fen.1.1.doctri.6.cap.5.& fen.1.3.doctri.1.cap.2. & in fine libri de anima. Idem tenet Auerroes in commentario ad librum de memoria Aristotelis; Et secundo Collectaneorum. Idem videtur sensisse Galenus tractatu 2.de oculis, vbi probat operatio nes horum sensuum fieri in diuersis locis, & 4. de lo cis affectis, cap.2.docet: [Si prior pars anterioris partis cerebri lædatur, statim læditur imaginatio; si posterior, compatitur media pars cerebri, & con-sequenter discursus offenditur protinus.] Ergo si Galenus asserit non lædi discursum, nisi quando læ ditur media pars cerebri, clarè constat ex ipso in illa parte fieri discursum.

Sed clarius. 1. lib. Prorrithicor. cõmẽt. 27. expli-cans illam sententiã: [In phrenitide permutationes indicant conuulsionem.] Docet permutationes fie-ri in

ri in phrenitide quando, aut imaginatio, aut diſcurſus, aut memoria læduntur, enim verò paulò clarius explicans, quo modo lædantur modo vna, modo altera potentia, docet hoc fieri, quia humores modo in vnam, modo in alteram partem cerebri mouentur; ſi ergo motus materiæ morbificæ in diuerſis partibus cerebri lædit nunc vnam, nunc alteram animæ operationem aperte: ex ipſo colligitur huiuſmodi operationes fieri in diuerſis locis.

His authoritatibus conuincitur Mercurialis lib. 1. practicæ, cap. 6. Galenum ita ſenſiſſe de diuerſitate locorum ſenſuum internorum, qui etiam eodẽ loco eandem tuetur ſententiam, & pluribus rationibus probat, quarum prima eſt ex communi lege, quã adducit Galenus libris de facultatibus naturalibus, & de tẽperamẽtis; ſcilicet animã operari cum tẽperamẽtis partium, atque illis vti tãquã organis & inſtrumentis ſuarum operationum, & ſicut variæ ſunt operationes, neceſſariũ eſt varia eſſe inſtrumẽta. Cum hoc igitur verum ſit, & omnium medicorũ communi ſententia receptum, erit neceſſarium, vt ſecundum diuerſitatem harum potentiarum tria organa ſint diuerſa cum diuerſis temperamentis.

Secunda ratio eſt, quia nobilium formarum ſemper ſunt plures actiones, & conſequenter plura inſtrumenta, ergo cum anima rationalis perfectiſsima ſit omnium formarum plures actiones, & inſtrumẽta habeat neceſſe eſt.

Tertia, quia si anima rationalis operationes exerceret vnico instrumẽto, hoc est, vna parte tantum, sequeretur vna operatione ipsius læsa, reliquas etiã simul lædi semper; sed contrarium constat ex vsu, & experientia, frequenter enim videmus aliquem lædi secundum imaginationem, & valere discursu, & memoria, alios verò ècontra, cuius rei adducit exempla Galenus, lib. de differentijs symptomatũ, cep. 3. & 4. de locis affectis, cap. 2.

Quarta, quia illæ potentiæ, quæ habent vnam operationem, sortiuntur, & vnum instrumentum, quæ verò habent plures, habent plura instrumenta, vt facultas irascibilis, quia est vna secundum speciem, habet sedem in corde, & concupiscibilis in hepate; ergo similiter, quia sensoria facultas habet plures operationes, necessario habet plura instrumenta, & plures sedes.

Sed quia iste rationes solùm probant sensus internos debere collocari in diuersis organis, non tamen probant eiusmodi situ, atque ordine esse dispo nendos, ita vt in anteriori ventriculo sit imaginatiua, in medio æstimatiua, & in posteriori memoria, adducit alias rationes, vt probet hoc ordine sitas esse dictas potentias.

Prima est, quia sicut certo ordine constant operationes animæ rationalis, ita quoque ordinata debent esse instrumenta huiusmodi operationum; sed

hic

hic ordo eſt huiuſmodi, vt primo ſenſus exteriores antecedant, deinde imaginatio, poſt diſcurſus, poſtremo memoria, ergo ſicut inſtrumenta ſenſuum primo locata ſunt in anteriori parte externa capitis, ſic debet eſſe ſecundo loco in interna cerebri parte anteriori imaginatio, & poſtea inſtrumentum diſcurſus, & vltimo inſtrumenta memoriæ.

Secunda ratio, deſumitur ex natura ipſarum potentiarum, nam imaginatio eſt pura receptio, memoria pura retentio, diſcurſus verò eſt veluti motus quidam medius inter memoriam, & imaginationem, igitur cum corpora mollia ſint aptiora ad recipiendum, & ad retinendum dura, conſonum rationi videtur, vt imaginatio fiat in parte molliori cerebri nimirum in anteriori, & memoria induriori, ſcilicet in poſteriori: quemadmodum, & diſcurſus, quia operatione eget, & receptione, & retentione, verè videtur collocandus in media cerebri parte.

Tertia, quoniam ſpiritus animales, qui in cerebro continentur, vt cõſtat ex Galeno. 8. de vſu partium, cap. 11. & 3. de locis affectis, cap. 7. ita diſpenſantur, vt prius in anteriori parte cerebri elaborentur, deinde in medio ventriculo, & tandem in vltimo, ita vt ſpiritus, qui in vltimo ventriculo continentur ſint magis elaborati, & perfecti. Hoc autem nulla alia ratione præſtitum eſſe arbitror à natura,

nisi

nisi quia cum dicti spiritus sint etiam instrumenta sensuum internorum, quo perfectior est sensus perfectioribus vtatur spiritibus; & quo imperfectior, imperfectioribus: constat autem imaginationem esse imperfectiorem, deinde ęstimatiuam: & memoriam vtraque longe esse perfectiorem, vt docet Auerroes li. 2. collecta. cap. 20. vbi inter animæ potentias, & operationes maximè omnium spiritalem esse memoriam contestatur. Ergo hoc ordine sedē, ac domicilium habent.

D. Augustinus lib. 7. de Genesi ad litteram, c. 18. triplicem etiam numerum ventriculorum cerebri, quæ organa sint, & instrumenta sensuum internorū concedit, diuerso tamen ordine, ac Mercurialis, & alij medici, nam memoriam non in posteriori, sed in medio ventriculo constituit; hæc sunt verba: [Tres tantum ventriculi cerebri demonstrantur, vnus anterior ad faciem, à quo sensus omnis, alter posterior ad ceruicem à quo motus omnis, tertius inter vtrunque in quo memoriam vigere demonstrant.] Eundem Augustinum sequitur Diu. Isidorus lib. 2. differentiarum, cap. 17.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Verior sententia.

HIs tamen non obstantibus sententijs supra positis dicendum est, memoriam, & alios sensus internos, siue tres tantum existant; vt communiter docent medici cum Galeno. 8. lib. de vsu partium, cap. 8. siue sint quatuor, vt sentit D. Thom. 1. par. quæst. 78. art. 4. siue sint quinque, vt tenent Aristotelici; & cum eis Auicena, fen. 1. 1. doct. 6. cap. 5. siue sint duo, vt Fonseca vult. 5. methaphisicę, c. 28. q. 7. sect. 4. siue sit vnus cum diuersis actibus, vt plures recentiores defendunt cũ Alexandro Alense. 2. p. q. 70. membro 2. de quo nullus hic modo est disceptandi locus; subiectari in eodẽ organo nimirum in solo cerebro. Hanc cõclusionẽ tuentur Vallesius, 2. lib. controuersiarum, cap. 23. Alexander Masaria, lib. 1. practicæ, cap. de melancholia, Fernelius, lib. 5. de facultatibus animæ, c. 9. vbi plura contra oppositam sententiam his verbis docet: [Haud dissimulanter hoc loco adeũda est, sed funditus euertenda iuniorum prope omnium absurda, & futilis opinio, quæ memoriam cerebri ventriculo postremo, phantasiam verò, idest cogitandi fingendique vim prioribus collocauit. Hæc ex Arabum factione primum orta; nullis ratio-

nibus ſtabilita, partim ficta pueriliter, partim effuti ta temere, ita demum iactationem habuit in populo. Verum, quæ ſupra producte ſunt à nobis rationes, palam faciunt memoriæ, atque imaginum facultates vna eademque eſſentia contineri, ſede vna firmari, circa ſpectra eadem negotiari, ſimilique vti inſtrumento corporeo, quamquam eſt efficiendi ratio diuerſa.] Neque oppoſitum conſtat ex Galeno, qui hac in re ſequutus eſt Ariſtotelem, qui in rebus dubijs, vel taciturnitatem, vel obſcuritatem amauit; vt docet Nicolus Peripateticus. Conſtat autem de hac re data opera nihil pronuntiare voluiſſe, nam loco ſupra laudato licet conſtituat tres ſenſus internos nihil tamen de inſtrumentis, & organis eorum pertractat: & 8. de vſu partium, cap. 6. ſolùm dicit potentias animales in cerebro reſidere nulla diſtinctione inter particulas cerebri adhibita, cum tamen diſcrimen, ſi quod in illo eſſet, deberet aſsignare vbi inſtituit ſermonem de ſpeciali vētriculorum cerebri vſu, & longe diuerſum munus ab aſsignato decernit, nam primis ventriculis fieri odoratum affirmat, ſpiritumque animalem elaborari; ſecundum verò ventriculum, docet eſſe porū, ſeu cauitatem tranſitus ſpirituum; in tertio ventriculo vigere magis, & operari animalem virtutem.

Et libro etiam de inſtrumento odoratus, probat ventriculos anteriores cerebri eſſe inſtrumēta odo

ratus,

ratus, sed alienum ab omni ratione videtur eandem partem esse instrumentum sensus exterioris, & sensus communis, qui debet esse, vt docet Aristoteles veluti centrum aliorum.

Et ratione probatur, quia non est diuersitas temperamenti, & modi substantiæ in partibus ipsius cerebri, vt constat ex anatome, ad hoc vt diuersa organa sensuum internorum constituamus, sicut est in instrumentis sensuum externorum; ergo absque fundamento in diuersis partibus cerebri distinctas potentias interiores locamus.

Secundo probatur, quia quando potẽtiæ ita sunt inter se connexæ, vt vna sine alia operari nõ posit, semper eas constituit natura in eadem parte, vt cõstat de potentijs naturalibus, attractice, retentrice, concoctrice, & expultrice, quia à mutuo subsidio, atque operatione dependent, in qualibet parte viuenti reperiuntur; sed interni sensus ita sunt inter se subordinati, vt non posit operari memoria sine aliorũ operatione, neque ęstimatiua, immò neque intellectus sine conuersione ad phantasmata valet operari. Ergo in eadem exquisita parte cerebri debent omnes collocari.

Accedit in confirmationem huius sentẽtiæ, haud leuis momenti experimentum, vt à posteriori cognoscamus in eodẽ organo tres sensus internos subiectari, quia in diuturnis studijs, & magnis contem

 pla-

plationibus, siuè exerceatur memoria, siuè imaginatio, siuè discursus, semper eadem cerebri pars dolore afficitur. Est ergo idem organum omnium sensuum; patet consequentia, quia ex nimio exercitio sensuum externorum afficitur organũ talis sensus, vt constat de oculo in magna, & continua visione, quia in ipso resultat dolor, si igitur ex qualibet operatione immoderata sensus interioris afficitur eadẽ pars cerebri, manifestum signum est idem esse eorum organum.

CTIO QVARTA.

Argumenta contra veram sententiam.

SEd dices, Galen. 8. lib. de vsũ partium, postremum ventriculum cerebri alijs præfert: & 3. de locis affectis, cap. 7. postremum ventriculũ perfectiorem esse docet, tam ad actiones sensitiuas, quàm ad illas, quæ consilio, & voluntate procedũt, quia maior quantitas spirituum in illo continetur.

Respõdetur, in his locis præferre vẽtriculũ posteriorẽ reliquis omnibus, & mediũ anterioribus; hoc tamen non ob principatũ facultatuum, quæ in ipsis sedem habẽt; sed omnes facultates in omnibus operari minimè verò in anterioribus ventriculis, maximè in postremo, & mediocriter in medio, &

hoc

hoc facile percipi poteſt ex his, quę paulò ſuperius dicit his verbis: [Sanè cum ea, quæ perdi ſectiones apparere ſolent, accurate conſiderauimus, rationi conſonum videbatur animam in cerebri corpore ſedem obtinere, atque in ipſo, & rationis vim, & ſenſibilium imaginum memoriam reſidere.] Non equidem clarioribus verbis proferre potuit ſenſus omnes in ſubſtantia cerebri ſubiectari.

Sed dices; quid reſpondendum eſt communi opinioni medicorum exiſtimantiũ in delirijs prout vnus, aut alter ſenſus internus eſt læſus, applicanda eſſe medicamenta ſincipiti modo, modo occipiti, modo mediæ parti cerebri?

Reſpondetur; falſo, & ſine fundamento applicari diuerſis partibus cerebri medicamenta, quando vna, aut altera potentia læſionem patitur; nam Galenus lib. 11. method. cap. 21. in frenitide medicamenta infundit ſuturæ coronali nullo diſcrimine læſa quacunque interna potentia, aut etiã omnibus ſimul afectis, ſumpta indicatione à ſutura, & raritate membri, vt melius poſsint ad interiora penetrare.

Dices, experimento compertum eſt, læſa poſteriori parte cerebri, lædi præcipuè memoriam, & ſimiliter quando autores de reparatione memoriæ læſæ verba faciunt, auxilia occipiti admouent, & non ſincipiti; magisque hac ratione proficiunt; li-

cet sinciput sit rarioris substantiæ; signum ergo est memoriam in illa parte esse,& non in tota substantia cerebri.

Respondetur primò,negando experientiã,immò oppositum pluries euenire compertum est, vt constat ex historia cuiusdam fabrilignari, quam refert Theodoricus lib.2.chirurgiæ,cap.2.cui Hugo celebris chirurgus curauit vulnus magnum posteriori cerebri ventriculo inflictum,& tota eius substantia amissa,& euacuata; carneque loco eius repleto ventriculo,sanitati fuit restitutus, nullo secuto incommodo in potẽtia memoratiua. Erat enim factor sellarum,& artem suam non amisit. Præterea,Clementi VI.Pontifici maximo (vt refert Petrarcha lib.2.rerum memor.cap.1.)ex magno vulnere in posteriori capitis parte accepto excellens memoriæ incrementum accidit.

Secundò respondetur, quod licet memoria sit in tota substantia cerebri, lædi tamẽ potest præcipuè læsa posteriori parte capitis, medicamentisque huic potissimum parti ad motis iubari: quia cum memoria (vt infra dicemus) ad suam operationem indigeat intensiore calore alijs duabus potentijs internis, & in parte posteriori cerebri magis vigeat calor spirituum animalium, quia maior copia illorum est in vltimo illo ventriculo, suntque magis perfecti, & elaborati; sic læsa illà parte à frigore,

aut

aut alia cauſa, quæ valeat corrumpere, ſuffocare, aut exalare ſpiritus: læditur primo memoria eiusq; detrimentum calidis medicamentis occipiti ad motis reſarcitur, ob conſeruationem caloris illius partis; ſimulque ſpirituum conſeruationem, & regenerationem; commode enim per commiſſuram occipitalem valent ad interiora penetrare.

Dices, vndè conſtat eſſe maiorem copiam ſpirituum animalium in vltimo, & poſteriori cerebri ventriculo.

Reſpondetur, huius rei rationem reddi à Galeno 8. lib. de vſu partium, cap. 11. his verbis: [Quia verò non in ſolis ventriculis, ſed in toto cerebri corpore continetur multus animalis ſpiritus, exiſtimādum eſt plurimum etiam in poſteriori cerebro contineri, vt quod omnium, qui in totum corpus diſtribuuntur nerborum principium futurum ſit, mediaque illa interualla, quæ partes eius connectunt ſpiritus eſſe vias.]

Dices vlterius, ſi memoria indiget intenſiori calore ad ſuas operationes, quam alij ſenſus interiores, infertur læſam anteriorem cerebri partem à frigore, aut ab alia cauſa, quæ ſpiritus animales corrumpat citius lædi, quam ſi vulnus aliquod occipiti infligatur: ſtabilitur ſequela, quia in parte anteriori cerebri, minor eſt reſiſtentia ex parte caloris, & ſpirituum. Ergo facilius refrigerabitur cerebrū

hac in parte, & ex consequenti lædetur memoria.

Respondetur, verum esse partem anteriorem cerebri esse minus calidam, & consequenter à causa frigida facilius lædi, non tamen inde elicitur citius lædi memoriam læsa parte anteriori cerebri, quia licet memoria subiectetur in tota cerebri substantia, tamen actus suos magis exercet in posteriori parte, quam in anteriori, quia ibi est maior copia spirituum, & sunt tenuiores, & magis elaborati; neque hoc est inconueniens, vt constat exemplo manifesto, nam facultas concoctrix ventriculi, etiam si subiectetur in tota capacitate eius (vt omnes medici sine controuersia concedunt) tamē magis exercetur concoctio in fundo ipsius; eo quod pars illa calidior sit; vtpotè quæ hepate tegitur, cuius ope, ac subsidio calescit, vt docet Galenus lib. 4. de vsu partium. Et idem est de gustu, qui præcipuè in cuspide linguæ viget.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur argumenta Mercurialis.

AD argumenta adducta pro prima opinione Mercurialis, Respondetur & primo ad authoritates Galeni iam retulimus supra, timide loqui de hoc, neque vsquam clarè sententiam suam proferre. Testimonium verò, quod adducitur

tur ex libro de oculis, nihil facit ad rem; nam liber ille est spurius, vt docet Altimarus; & plura continet, quæ indigna sunt tanto viro.

Ad secundum testimonium, ex 4. lib. de locis affectis, cap. 2. respondetur, non ita esse scripta verba, vt referuntur à Mercuriali, sed hac solum ratione: [Quod si namque aliquando sola anterior pars cerebri afficiatur supremum ipsius, vẽtrem ei consentire necesse est, atque cogitandi actiones vitiari:] Ex hoc autem testimonio solùm colligitur, quod si multum afficiatur cerebrum, sensus interni læsionem patientur: hoc enim intelligendum est nomine imaginationis, seu cogitationis, idest, actiones sensuum internorum; & hoc constat perspicuum esse, nam si nomine cogitationis solùm intelligeremus imaginatiuam, non defenderemus consequenter doctrinam, quæ imputatur Galeno, nam secundum illam non in medio ventriculo, sed in anteriori imaginandi vis collocatur, si autem nomine cogitationis intelligimus estimatiuam, seu discursum, quem dicunt in medio ventriculo collocari; deberet Galenus necessario mentionem facere primo læsionis imaginatiuæ, læsa primo parte anteriori cerebri, sed læsionis huius potentiæ non meminit; ergo clarè patet nomine cogitationis intelligendas esse actiones sensuum internorum indifferenter.

Haud paulò maior se offert difficultas in altero

loco enucleando: e xprimo prorrithicorum. Pro cuius explicatione notandum est, delirium in phrenitide hac ratione fieri ab humoribus, & propter motum localem ipsorum intra cerebrum ad cuius motum spiritus etiam varie agitantur, & mouentur localiter, & similiter propter dispositionem quandam præter naturalem, & morbosam, quam producunt dicti humores in substantia cerebri. Vnde hæc tria sunt necessaria ad delirium, motus humoris, motus spirituum, & dispositio morbosa producta in substantia cerebri; hæc tamen omnia in phrenitide diuerso modo se habent ad hoc, vt lædant actionem vnius sensus interioris, aut alterius: nam prout motus spirituum est maior, aut minor, ita dispositio præter naturalis, talis, aut talis, quæ habet proportionem cum speciebus vnius potentiæ, & non alterius, has excitat species, & non illas, & secundum quod est intensior, aut remisior, læditur vna potentia, & non altera; quam doctrinam efficaciter probat meus Magister Petrus Garcia Carrero, lib. de locis affectis, disputatione de phrenitide.

Hoc supposito verum est, quod perhibet citato loco Galenus, nimirum lædi vnam, aut alteram potentiam internam, prout humores modo in vnam, modo in alteram partem cerebri mouentur, quod nos cōcedimus in sensu supra posito; intelligi enim non potest, alio modo posse delirium fieri ab humoribus,

ribus,ita vt aliquando vnus tantum internus ſenſus lædatur,aliquando duo,& omnes ſimul aliquando.

Ad rationes verò reſpondetur. Ad primam,certum eſſe quidquid huius argumenti terminis continetur, quando actiones diuerſæ, non ſunt inter ſe ſubordinatæ,& neceſſario connexæ; at verò quando ad inuicem inter ſe vna indiget alia,vt ſupra diximus de facultatibus naturalibus potius in eodẽ organo eſſe conſtituendas.

Ad ſecundam reſpondetur verum eſſe plura inſtrumenta eſſe informis nobilioribus; hoc autem intelligi debere reſpectu illarum facultatum, quæ inter ſe non ſunt ſubordinatæ,& connexæ.

Ad tertiam reſpondetur, negando ſequelam; & ad probationem dico,adhuc exiſtentibus omnibus iſtis facultatibus in eadem parte cerebri poſſe contingere læſionem in vna potentia,& non in alia, de quo infra tractabimus.

Ad quartam, conſtat ex dictis in reſponſione ad primam,& ſecundam rationem.

Ad rationes,quæ probãt ordine dicto in illa opinione collocari prædictas potentias intra cerebrũ, facile reſpõdetur. Ad primam reſpondetur,potius ex illa ſubordinatione inferri debere eſſe dictos ſenſus in eadem parte cerebri, vt ſupra probaui. Præterea,ex illa ſubordinatione non deducitur neceſſario, illo ordine eſſe ponẽdas dictas facultates:

ita vt imaginatio præsideat in anteriori ventriculo, æstimatiua in medio, & memoria in vltimo; quia eadem ratione, qua imaginatio ita facile versatur circa obiectum tangibile applicatum partibus anterioribus, aut posterioribus nostri corporis; ita etiam si imaginatio in posteriori, aut media parte cerebri resideret, versaretur circa alias potentias internas, & excitaret eas, quia eadem ratione se habet imaginatio respectu aliorum sensuum internorum, ac se habent sensus exteriores respectu imaginationis.

Ad secundam respondetur, falsum esse imaginationem esse puram receptionem, & memoriam puram retentionem, nam & imaginatio habet etiam retentionem, qua ratione infra probabimus ex Aristotele imaginationem conseruare species; & similiter memoria non est pura retentio, sed habet etiã receptionem, & operationem circa præteritum, vt tale, vt iam supra probatum manet.

Ad vltimam respondetur; non ideo fieri dictas elaborationes in diuersis ventriculis; vt quo perfectior, aut imperfectior est sensus interior, perfectioribus, aut imperfectioribus instrumentis vtatur: quod efficaciter probatur, nam facultates sensitiuæ, & motiuæ externæ absque dubio imperfectiores sunt, & magis materiales quolibet sensu interno, & tamen vtuntur spiritibus purioribus, & perfectio-

fectioribus, qui sunt in vltimo ventriculo cerebri: nam ab illa parte incipit fieri communicatio, & distributio spirituum animalium per neruos ad sensum, & motum; non ergo propter dictam rationem fient illæ elaborationes. Vndè, potius existimare oportet illas spirituum purificationes fieri in diuersis partibus, vt ex spiritibus vitalibus fiant animales, qui magis elaborati, & purificati facilius ad sensum, & motum per neruos communicentur, & similes sunt elaborationes istæ spirituum his, quæ fiunt in semine in vasis præparatorijs, & eiaculatorijs, & in testiculis: quas omnes medici concedunt, vt purius, & perfectius reddatur semen ad generationem.



CAP.

CAPVT IIII.

Quod ſit ſubiectum, in quo ſpecies memoriæ recipiuntur: & qua ratione ab illo conſeruantur.

SECTIO PRIMA.

Opinio illorum, qui ſpecies in ſpiritibus animalibus ſubijci affirmant.



IRCA primam partem huius quæſtionis eſt ratio dubitandi, ex vna enim parte, cum dictum ſit ſubſtantiam cerebri eſſe organum memoriæ; videtur neceſſario, & conſequenter dicendum in illa recipi, & conſeruari ſpecies. Ex altera verò ſunt nõ contemnendæ rationes, quæ probent ſpecies memoriæ conſeruari in ſpiritibus animalibus.

Primo, quia experientia conſtat, corruptis ſpiritibus animalibus, ex quacunque cauſa, lædi memoriam:

niam: quod ob nihil aliud fieri poteſt, niſi quia ſpiritus ſunt ſubiectum in quo ſpecies recipiuntur, & conſeruantur.

Probatur autem efficaciter, nam ex caſu, aut cõtuſione capitis; aut ex vulnere pluries viſum eſt repente homines reddi immemores, vt conſtat ex hiſtoria illa viri Athenienſis, quam adducit Valerius Maximus, lib. 1. cap. 2. qui cum ictum lapidis capite excepiſſet omnium litterarum, quibus præcipuè inſeruierat, oblitus eſt. Et Plinius lib. 7. hiſtor. naturalis, cap. 24. ſimiles alias enarrat hiſtorias; hoc autem minimè fieri poteſt, niſi corruptis repente ſpeciebus memoriæ, ſed tunc non corrumpũtur à contrario, cum illo careant, nec defectu conſeruantis, quia amplius, & amplius conſeruarentur, niſi talis ſubitaneus caſus accideret. Conſtat igitur ex defectu ſubiecti neceſſario corrumpi; ſed in præfactis caſibus non violatur ſubſtantia cerebri (quia ſupponimus tales homines per multum tempus viuere ſine memoria, quod non poſſet fieri ſi deeſſet illis talis ſubſtantia cerebri) & corrumpuntur ſpiritus animales; tales enim priuantur ſenſu, & motu, quando vulnerantur: quod minimè accideret, niſi deeſſent ſpiritus animales, qui ſunt inſtrumenta talium actionum; & poſtea quando tales recuperantur, & liberantur à morbo, etiam ſi denuo comparent eandem, aut maiorem ſpirituum quan-

titatem

titatem, habent adhuc læsam memoriam. Ergo ex eo factum est, quia species memoriæ subiectabantur in prioribus spiritibus, qui corrupti fuerunt.

Prætereà argumentor sic; spiritus sunt subiectum aptius, & magis proportionatum receptioni, & cõseruationi specierum, quam substantia cerebri; ergo in illis recipiuntur, & conseruantur. Probatur antecedens, nam medijs spiritibus animalibus sensus exteriores mittunt species impressas in interiores; vt docent communiter Philosophi, & cum eis Pater Rubius.3.lib.de anima, quæst.9.in fine. Quia sunt corpora, quædam similia aëri, hoc autem non esset necessarium, si corpus adeò densum, & crassum, quale est cerebrum esset capax recipiendi species; sed sufficeret vt per carném, & ossa diffunderentur species impressæ productæ ab expresis externorũ sensuum: nulla enim est ratio, quæ conuincat substantiam medullarem esse capacem recipiendi has species, non verò carnem, & ossa; si omnia sunt corpora opaca, crassa, & densa.

Prætereà, causa erroris, & delirij in phreneticis est motus spirituum per cerebrum, vt quæstione præcedenti dictum est; hoc autem non ob aliam causam fit, nisi quia spiritus cum sint subiecta specierum, motu illo confunduntur, & disturbantur, & sic varia deliria excitant, vt docet Auicena fen. 1.3.tract.4.cap.11.

Tan-

Tandem in vertiginoſis, ideſt, in illis ęgrotantibus, in quibus omnia obiecta in gyrum mouentur, non aſsignant medici aliam cauſam huius ſymptomatis, niſi quod ſpiritus animales, in quibus obiectorum ſpecies ſubiectantur, mouentur in gyrum intra cerebrum, & ſic repreſentant illa ratione obiecta.

SECTIO SECVNDA.

Vera ſententia duabus concluſionibus proponitur.

HIS tamen ſupra poſitis rationibus præcedenti ſectione non obſtantibus, dico primo, ſpecies impreſſæ memoriæ (& idem eſt de aliorum ſenſuum internorum ſpeciebus) recipiuntur, & conſeruantur immediatè in ipſa potentia memoratiua, mediatè verò in ſubſtãtia cerebri. Hæc concluſio colligitur apertè ex Ariſtotele, lib. de memoria, & reminiſcentia, cap. 2. vbi ex diuerſitate temperamenti cerebri probat, alios eſſe immemores, alios verò magna memoria polere, alios ſimiliter facile addiſcere, & cito obliuiſci, alios ècontra difficulter addiſcere, ſemel tamen receptis ſpeciebus difficulter obliuiſci; eandem ſententiam

tenet cum Aristotele, Diu. Thom. 1. par. quæst. 78. articulo 4. Galenus lib. artis medicinalis, cap. 12. estque communis fere omnium Philosophorum, & Medicorum, & probatur ratione, nam species recipiuntur immediatè in potentijs sensitiuis, sed potentiæ inhærent in substantia cerebri, vt supra probatum est. Ergo species recipiuntur in substantia cerebri medijs potentijs; maior huius argumenti est certa, & receptissima inter Philosophos cum Aristotele. 2. lib. animæ, cap. 5. vbi docet potẽtiam sensitiuam esse passiuam, & immutari ab obiecto, & per hanc operationem excitari ad operandum; immutatio autem nõ potest alio modo fieri, quam per receptionem speciei eiusdem obiecti. Eandem sententiam tenet D. Thom. 1. par. quæst. 56. art. 1. & quæst. 79. articulo 3. Scotus in 1. distinctione 3. quæst. 7. & 2. lib. de anima, quæst. 12. Conimbricenses cap. 6. quæst. 1. art. 2. eodem libro.

Probatur secundo, quia potentia ex se est indifferens ad hanc, vel illam operationem circa hoc, vel illud obiectum, ergo constituitur in actu primo ad operandum per aliquid ei superadditum: Hoc autem non potest esse obiectum, cum obiecta non immutent immediatè potentias, ergo debet esse species.

Dico secundo, plures species ex his, quæ deseruiunt operationibus internorum sensuum subiectã-

tur

tur in ſpiritibus animalibus exiſtentibus intra cerebrum, non tamen immutant potentias immediatè per ſe ipſas, ſed producendo ſimilem ſpeciem in potentia, & organo ipſius. Hæc concluſio quoad 1. p. probatur ex Ariſtotele lib. de inſomnis, cap. 3. his verbis: [Interdum verò conturbatæ apparent viſiones, & monſtruoſæ, & deteriora ſomnia, veluti melancholicis, & febricitantibus, & tumulentis. Omnes enim huiuſmodi paſsiones, cum ſpirituoſæ ſint, multum faciunt motum, & perturbationem.] Idem docet 3. lib. problematum, quæſt. 9. vbi quærens cauſam quare vino grauiter detentis omnia in gyrum verti videantur, aſſerit hoc fieri: [Quia conſpectus à vini calore compellitur, atque commouetur.] Nomine autem conſpectus ſpiritus intelligitur cum ſpecie; quia non poteſt intelligi organum potentiæ, cum hoc non moueatur: appellatur autem ſpiritus conſpectus ab effectu quem cauſat. Et ſectione 6. problematum, quæſt. 4. quærens cur vertigo ſurgenti potius, quam ſedenti accidat, id tribuit motui ſpirituum: idem conſtat ex Galeno 3. de locis affectis, c. 6. vbi docet cauſam vertiginis eſſe motum ſpirituũ per magnas arterias cerebri, quæ plexum retiformen conſtituunt, & Auicena fen. 1. 3. tract. 5. cap. 1. tradens cauſam vertiginis, inquit: [Et hæc quidem vertigo accidit propterea quod reuoluuntur vapores, & ſpiritus.] Tandem

veritatem huius conclusionis probant rationes dubitandi, quæ vltimo loco propositæ sunt.

Secunda verò pars conclusionis in hunc modum suadetur, nã species quæ sunt in spiritibus non possunt reducere potentiam in actu primo operãtem, nisi producant aliquid in ipsamet potentia, & organo ipsius, vt supra probatum est; ergo per species quæ sunt in spiritibus non potest immediatè determinari potentia ad operandum.

SECTIO TERTIA.

Rationes dubitandi soluuntur.

AD rationes verò dubitandi respondetur. Ad primam, verũ esse defectu spirituum animalium lædi memoriam, hoc autem non fit eo quod deficiunt species; sed quia corruptis spiritibus deficit dispositio necessaria ex parte materię, & organi, ad hoc vt operetur memoria: vt supra probatũ est. c. 3. Historię autẽ, quę adducũtur à Plinio, & Valerio Maximo, potius nobis fabent; nã maior pars illorũ, qui ex casu, aut cõtusione memoriã perdũt, si curẽtur, in integrũ restituitur illis memoria: vt cõstat ex historia quã adducit Ferne. li. 5. Pathologię. c. 2. illius hominis qui ex ictu vehemẽti, ac valido cõcidit magno mẽtis, sẽsuũq; stupore coreptus & cu-

& curatus tertio mẽſe in priſtinam memoriam fuit reſtitutus; quod fieri non poſſet ſi ſpecies ſubiectarentur in ſpiritibus, qui corrupti fuerunt, manent ergo, & conſeruantur ſpecies in ſubſtantia cerebri; ſi verò aliquis per totam vitam læſa memoria manſit, hoc non fit defectu ſpecierum, ſed defectu alicuius diſpoſitionis materialis organi, quod aliqua cerebri in valetudine affectum fuerit; ſiuè in intemperie, ſiuè in compoſitione.

Ad ſecundam reſpondetur negando antecedẽs, nam in ſubſtantia cerebri diutius, & melius conſeruantur ſpecies; vndè certo colligitur à poſteriori longe aptius, magiſque proportionatum eſſe ſubiectum, quam ſpiritus animales.

A priori verò huius rei veritas, haud obſcuro argumento declarari poteſt, nam ſubſtantia cerebri eſt ſubiectum mediatum, ſimulque organum potentiæ memoratiuæ; vt ſupra probaui. Ergo natura ſua habet aptiorem, & magis proportionatam diſpoſitionem ad receptionem, & cõſeruationem ſpecierum, quã quælibet alia ſubſtantia: id enim, quod natura ſua eſt ſubiectum, & organum potentiæ debet eſſe etiam valde proportionatum ad recipienda ea, quæ ad actus talis potentiæ requiruntur.

Neque id quod antecedens ſtatuit verum exiſtit, nam ſpiritus animales non ſunt medium neceſſariũ, quo ſenſus exteriores mittunt ſuas ſpecies in interiores

riores,vt conſtat manifeſto inditio, nam ſtatim, ac ſenſus tactus in pede percipit aliquod tangibile, producit ſuam ſpeciem in ſenſu interiori qui eſt in cerebro,hoc autem præſtari nequit per ſpiritus tãquam per medium; quin etiam per carnem, & ſanguinem,& per partes ſolidas ſpecies diffundantur, nam ſpiritus à pede vſque ad cerebrum non ſunt continui,neque contigui,ſed inter vnum, & alterũ ſpiritum animalem intercedit,aut portio ſanguinis, aut carnis,aut alterius partis ſolidæ; ex quo fit, vt vnus ſpiritus non poſsit producere ſpeciem in altero quin prius eam producat in ea parte, quæ intercedit.

Prætereà, ſi crus,aut brachium arctius obligentur, aut ita comprimantur, vt impediatur deſcenſus ſpirituum animalium ad illa, toto tẽpore quo durant ſpiritus in illis partibus infra ligaturam,ſentiunt tales partes,& poſtea corruptis ſpiritibus omni ſenſu,& motu priuantur, penituſque obtunduntur, vt plurimis, iјſque certiſsimis experimentis conſtat. In hoc autem caſu,quando pes,aut manus ſentiunt aliquod tangibile, producitur ſpecies in ſenſu interiori, & non per ſpiritus animales; quia tunc non ſunt continui,neque contigui; ergo tales ſpiritus non ſunt medium neceſſarium, quo ſenſus exteriores producant ſuas ſpecies in interioribus. Reliqua argumenta obiecta ſolùm probant, id

quod

quod nos concedimus in ſecunda concluſione.

SECTIO QVARTA.

Secunda pars quæſtionis examinatur.

Circa ſecundum quod inquirit quæſtio, qua ſcilicet ratione ſpecies conſeruentur à memoria; primo certum eſt, memoriam eas recipere, & conſeruare in genere cauſæ materialis; quemadmodum dictum eſt ſupra de ſubiecto, & organo ſpecierum.

Vnus verò nodus hic duntaxat occurrit, an in genere cauſæ efficientis tales ſpecies conſeruentur à potentia, vel à diſpoſitione materiali organi: & ratio dubitandi eſt, quia ſpecies impreſſæ externorũ ſenſuum non conſeruantur in potentijs ſola conſeruatione materiali; ſed etiam dependent in ſua conſeruatione ab agentibus, quæ illas producunt, vt patet de ſpeciebus viſibilibus; ergo eadem ratione philoſophandum erit in ſpeciebus impreſsis memoriæ.

Præterea, ſi ſpecies quas memoria ſeruat, non habent cauſam efficientem conſeruatiuam illarum; infertur, ſemel in organo memoriæ receptis, aut corrumpi, vbi primum cauſa conſeruans deficit, aut ſi ſemel aſſeruantur neceſſario toto durare tem

pore, quo ſubiectum ipſum perſiſtit; quod apertè falſum eſſe conuincitur: ſequela firmatur, quia tales ſpecies neque corrumpi poſſunt à contrario, cū illo careant, neque defectu ſubiecti, aut conſeruantis: igitur nullum eſt principium corruptionis illarum.

Sed quidquid de his controuerſijs ſit, dicendum eſt, ſpecies impreſſas memoriæ à ſola memoria, & eius organo conſeruari conſeruatione materiali; & nullo modo efficienter, neq; aliquod aliud agens naturale inueniri, quod eas efficienter aſſeruet: hāc concluſionem tuentur neceſſario omnes, qui memoriam paſsiuam duntaxat potentiam eſſe affirmant: quos ſupra retulimus. In noſtra verò opinione, quæ aſſerit eſſe potentiam actiuam, non minus efficacibus argumentis roboratur.

Quoniam nullum agens valet conſeruare efficiēter aliquem effectum cuius productionem attingere non poteſt, ſed neque memoria, neque eius diſpoſitio materialis organi poſſunt producere ſpeciem impreſſam: ergo neque illam conſeruare. Maior eſt certa, vt intelligere poterit, quisquis mentis aciem per omnes cauſas efficientes conſeruatiuas alicuius effectus circunferat; quia omnes poſſunt tales effectus attingere. Minor fulcitur, neque enim de diſpoſitione materiali quiſquam poteſt ambigere. De memoria autem ſic probatur: nam ſpecies impreſſæ

preſſæ imagines virtuales exiſtunt rerum quas repreſentant. Ergo ſolùm ab ipſiſmet rebùs, aut à formali imagine ipſarum poſſunt produci; propter quam cauſam omnes ſine controuerſia concedunt ſolùm ab ſpeciebus expreſsis aliorum ſenſuum produci.

Dices, memoria eſt cauſa efficiens ſpeciei expreſſæ ipſius memoriæ. Ergo & etiam erit cauſa efficiens impreſſæ, quæ relinquitur in memoria: antecedens eſt certum, ſi memoria eſt potentia actiua; conſecutio probatur, quia qui poteſt producere imaginem formalem alicuius rei, præſtantius quidem virtualem efficere valebit; quæ eſt veluti ſemen formalis imaginis, vt qui poteſt producere calorem in organo tactus, melius poterit producere eius ſpeciem.

Reſpondetur, haud rectè dici, id quod producit imaginem formalem, poſſe etiam producere virtualem, vt plurimis exemplis clariſsimè illuſtrari poteſt. Nam Petrus, verbi gratia, poteſt producere imaginem formalem Franciſci filij ſui; & nō poteſt producere ſpeciem impreſſam illius Franciſci, vt videatur à Ioanne: ſimiliter, qui poteſt producere calorem, non poteſt producere ſpeciem impreſſam illius caloris, quem producit; ſed hæc ab ipſo calore debet dimanare, cuius rei hæc eſt ratio, nam fruſtraneum eſſet producere imaginem virtualem ali-

cuius rei, qui poteſt eiuſdem formalem imaginem attingere: vnde virtualis imago ſolùm à formali producitur:& eſt veluti ſemen, medio quo alteram imaginem formalem generat. Eodem prorſus modo ſpecies impreſſæ, quæ ſeruantur in memoria, producuntur ab expreſsis ſenſuum antecedentium (vt infra declarabimus)& nulla ratione à potentia.

Dices ſecundo, ſpecies expreſſa memoriæ dependet in fieri,& conſeruari à memoria. Ergo memoria concurrit efficienter ad totum id, quod ſpecies poteſt producere; quod etiã in luce fieri videmus, quæ in fieri, & conſeruari à ſole dependet, ſol autẽ concurrit efficienter ad omnes effectus, qui producuntur à luce:eo quod illi omnes in ſole virtualiter continentur.

Reſpondetur, hoc argumentum probare mediatè poſſe memoriam attingere productionẽ ſpeciei impreſſæ, quod minimè nos inficiamur: non tamen ſufficit aliquem effectum ab agente, quopiam poſſe produci mediatè, vt aſſeramus illud agens poſſe immediatè in genere cauſæ efficientis illum conſeruare; vt conſtat exemplo adducto: nam licet ſol producat calorem media luce, non tamen poteſt conſeruare calorem ſine luce: at memoria conſeruat ſpecies impreſſas immediatè, poſtquam corruptæ ſunt expreſſæ; ergo non conſeruat illas efficienter.

Ad

Ad primam rationem dubitandi respondetur: licet concedamus species impressas externorum sensuum dependere in sua conseruatione ab obiectis in genere causæ efficientis, (quod adhuc sub iudice manere; ancipitique quæstione versari, per doctè adnotarunt Conimbricenses. 2. lib. de anima, c. 6.) hoc verò ex ipsa talium specierum materialitate, & imperfectione potentiæ externæ efficitur: quæ non potest percipere nisi præsentia obiecta; at sensus interni, eiusque species altioris ordinis cum sint, atque à materiæ contagione magis liberi; adhuc in obiectorum absentia, conseruant species sola dispositione materiali organi in quo resident.

Ad secundam rationem dubitandi respondetur. Dupliciter corrumpi posse tales species; aut defectu subiecti, nimirum quia partes multæ substantiæ cerebri continua alteratione deperduntur; quemadmodum aliæ de nouo nutritione restaurantur: aut quia ratione alicuius præternaturalis dispositionis organum male afficitur, & redditur incapax conseruandi tales species: de quo infra agemus, cũ causas lęsionis memorię enumerabimus: altero etiã modo species sunt corruptibiles defectu conseruantis, eo quod Deus subtrahat illis concursum limitata duratione sua finita, quam asignauit: vt communiter dicunt philosophi, de sono, & de impulsu.

CAP.

CAPVT V.

Qua ratione producantur ſpecies in memoria, vt illas conſeruet.



EX HIS, quæ in nobis clariſsimis quotidianæ experientiæ inditijs cognoſcimus, neceſſario fatendum eſt inter ſenſus internos alios eſſe anteriores, alios verò poſteriores in ſua operatione. Sic docent communiter philoſophi 3.lib.de anima, cap.3.&cum eis Valleſius, lib.3.de locis affectis. Mercurialis, lib.1. practicæ, cap.6. Petrus Garcia Carrero, lib.de locis affectis, diſputatione de phrenitide. Neque enim poteſt eſſe ęſtimatiuæ operatio, quin præcedat imaginatio: prius namque eſt cognoſcere obiecta præſentia, & abſentia per ſpecies ſenſatas, qua ratione cognoſcit imaginatiua; quam ſub noua alia ratione conuenientiæ aut diſconuenientiæ per ſpecies inſenſatas eadem obiecta prius ſenſata cognoſcere: vt pręſtat ęſtimatiua.

tiua. Cum autem memoria ſeruet ſpecies rerum omnium, quæ ab his ſenſibus perceptæ ſunt, hinc fit vt potentia hæc ſit omnium poſterior, & ſupponat neceſſario aliarum potentiarum operationes. Hęc doctrina ſe ſe in omni opinione longè, lateque extendit, ſiuè ſit vnus tantum internus ſenſus cum diuerſis actibus, ſiuè ſint plures, aut pautiores, quã tres, quos medici aſsignant: omnes enim fateri tenentur horum actuum ſubordinationem, ſiuè ab vna, eademque potentia animæ producantur, ſiuè à diuerſis.

Eodem ſimiliter ordine, quo actus harum potentiarum ſunt priores, aut poſteriores; ſunt inęqualis perfectionis. Quis enim ſanè mentis negabit actum ęſtimatiuæ potentiæ eſſe perfectiorem, & à materię concretione liberiorem, quam imaginatiuæ; & eadem ratione memoriæ actus, quia verſatur circa omnia illa obiecta, circa quę alij ſenſus anteriores, ſed perfectiori modo; cognoſcendo ſcilicet illa ſub ratione præteriti; non eſſe altioris ordinis alijs, qui fiunt ab antecedentibus potentijs.

Iactis huiuſcæ doctrinæ fundamentis facile intelligitur ſpecies impreſſas memoriæ produci ab expreſsis ſenſuum antecedentium: eadem namque ratione philoſophandum eſt in productione harum ſpecierum, ac in productione ſpecierum ex ſenſibus externis in internis.

Tria

Tria autem ſunt, quæ negotij aliquid faceſſunt circa hanc quæſtionem. Primo, quando producitur ſpecies impreſſa in memoria, vtrùm operetur actualiter memoria informata tali ſpecie, ita vt ſimul cũ ſenſibus anterioribus, cognoſcat obiecta, quorum in ſe recipit ſpecies.

Secundo, vtrùm ex ſpecie expreſſa producta per actum memoriæ, producatur denuo altera impreſſa in eadem potentia, quæ augeat, vel intendat ſpecies, quas antea habebat.

Tertio, an memoria immediatè recipiat ſpecies ab imaginatiua, vel ſolùm eas recipiat immediatè à potentia ęſtimatiua, & mediatè ab imaginatiua.

SECTIO PRIMA.

Dubium primum examinatur.

CIrca hoc dubium primum hæc ſe offert difficultas: quia quando actu memoria recipit ſpeciem ab alijs ſenſibus anterioribus, eſt in actu primo ad operandùm, ergo operatur: conſequentia eſt certa. Suadetur verò antecedens, quia alij ſenſus redduntur in actu primo, & proximo ad operandum per receptionem ſpeciei impreſſæ. Ergo eodem modo philoſophandum eſt in memoria.

Probatur verò hoc argumento potiſsimum, quia quando

quando memoria operatur, nihil recipit denuo prę ter id quod recepit, quando actu ſenſus alij operabantur. Ergo ſi tunc non poterat operari, neque modo poterit; autècontra, ſi modo tranſacto temporis ſpacio operatur, poterat ergo tunc operari: immò neceſſario deberet operari; ſi eadẽ ſunt principia operationis modo ac poſtea.

Nihilo tamen minus aduerſus hæc omnia dicendum eſt, memoriam nulla ratione operari quando actu recipit ſpecies impreſſas à ſenſibus anterioribus, cuius rei hæc aſsignatur ratio: quia memoria eſt potentia natura ſua ordinata ad cognoſcenda obiecta præterita, vt præterita, cum differentia loci, & perſonæ. Ergo quamuis actu recipiat ſpecies non poterit per illas operari; quia non in portatur differentia temporis præteriti.

Prætereà, ſi memoria operaretur tũc circa idem obiectum, non cognoſceret illud peculiari cognitione diſtincta à cognitione aliorum ſenſuum antecedentium; & hac ratione eſſet actus ille ſuperuacaneus, & ſine fine poſſet videri. Tranſacto autẽ tempore eadem ſpecie, qua antea non operabatur, cognoſcit obiectum ſub ratione præteriti; etiam ſi nihil denuo ſit ſuperadditum ipſimet potentiæ, & ſpeciei. Nam quemadmodum ęſtimatiua per eandem ſpeciem, quæ repreſentat obiectum cognitum ab imaginatiua, cognoſcit conuenientiam, aut diſ-

con-

conuenientiam; quia est superior potentia, & plus illi fit præsens per eandem speciem, ac representatur imaginatiuæ, vt docet D. Thom. 1. par. quæst. 78. artic. 4. ad 2. & ad 4. Sic per eandem speciem productam in memoria tempore lapso, cognoscit memoria obiectum vt præteritum; quod non poterat cognoscere in prima productione defectu temporis præteriti, ad quod intrinsecũ ordinem dicit.

Est tamen notandum, quando dicimus memoriã cognoscere præteritum vt præteritum, non esse intelligendum formaliter cognoscere hanc temporis differentiam, sed solùm aliquomodo materialiter: id est percipit sensibile iam sensatum, & absens.

In hoc sensu intelligendus est Arist. lib. de memoria, & reminiscentia, quando asserit memoriam solùm conuenire animalibus, quæ aliquomodo percipiunt tempus, huius porrò hæc est ratio; quia cognoscere præteritum vt præteritum, formaliter inuoluit necessario cognitionem formalem temporis: ratio autem formalis temporis dicit ordinem prioris, & posterioris, in partibus motus, & formalem rationem durationis: neutrum autem horum per sensum potest cognosci, vt latè probant Philosophi 2. lib. de anima, cap. 6. & cũ eis P. Rubius eodem loco, & 3. lib. cap. 3. quęst. 6.

His positis haud difficile est propositę controuersię nodos dissoluere. Et primo quidẽ negandum

est,

eſt; memoriam eſſe in actu primo ad operandum per receptionem ſolam ſpeciei impreſſæ, quia deficit tunc conditio intrinſeca,& neceſſaria ad actum memoriæ: ſcilicet vt verſetur circa illud obiectum, tanquam antea cognitũ,& abſens, quod non poteſt fieri in differentia temporis præſentis.

Huius rei ratio fundamentalis eſt, quia potentia memoratiua largita eſt animalibus, vt docet Ariſt. lib. 3. animæ, c. 4. & ſæpè alibi, vt conſeruet ſpecies rerum, quæ ab alijs ſenſibus anterioribus cognitæ ſunt,& ſit earũ veluti theſaurus; idẽ docet D. Tho. 1. p. q. 78. ar. 4. ideo neceſſario,& intrinſeca ſua ratione, includit cognitionem illorum obiectorum, quorum in tempore pręterito fuerũt cognitiones: quia vt dictum eſt ſupra in fundamento huius concluſionis, ſuperfluum eſſet memoriam actu cognoſcere obiectum cognitum ab imaginatiua, & æſtimatiua, ſi non noſceret illud ſub peculiari aliqua ratione; nulla enim occurrit ratio peculiaris, qua memoria noſcat obiectum, quando actu cognoſcitur ab alijs ſenſibus anterioribus;& ita cum poſtea tale cognoſcit obiectum ſolum addit peculiarem modũ cognoſcendi: videlicet vt iam cognitum, & ſenſatum tempore pręterito, qui modus intrinſicè includitur in ſua ratione formali: vt docet Ariſtot. lib. de memoria, his verbis: [Memoria eſt facti, & præteriti, non rei pręſentis.]

Dices, imaginatiua conseruat etiam species rerum, quæ à sensibus exterioribus fuerunt cognitæ, vt communiter tenent Philosophi, cum Arist. 3. lib. de anima, cap. 3. Et satis probabilis est opinio eas ab æstimatiua conseruari; de quo infra sermonem instituemus: etenim si istæ potentiæ conseruant species, poterunt per illas obiecta iam cognita in tempore pręterito cognosci, neque erit opus constituere nouam potentiam memoratiuam, ab his duabus distinctam, solùm propter hoc, quod cognoscat obiecta antea sensata, & præterita. Sed huic argumento infra satisfaciemus, cum discutiamus an imaginatiua, & ęstimatiua conseruent species, & causam assignemus cur memoria sit potentia distincta ab his duabus, etiam si conseruent species. Ex dictis etiam soluta est secunda ratio dubitandi.

SECTIO SECVNDA.

Dubij secundi examen.

SEcundum extabat dubium, vtrùm ex specie expressa producta per actum memoriæ generetur denuo altera impressa in eadem potentia, quæ augeat, vel intendat species, quas antea habebat. Et ratio dubitandi est, quia ex iteratione plurium actuum memorię circa idem obiectum

species

ſpecies firmius animo imprimuntur, intenſionem ergo, & incrementum ſuſcipiunt; ſed nullum aliud eſt principium, quod valeat eas intendere niſi ſpecies denuo producta: igitur ex ſpecie expreſſa, producitur alia impreſſa denuo.

Pręterea, ex qualibet ſpecie expreſſa ſenſuum antecedentium diffunditur alia impreſſa, quæ ſit virtualis imago obiecti. Ergo ſimiliter ex ſpecie expreſſa memorię, producitur altera impreſſa; eadem enim videtur omnium ratio.

His tamen nequaquam admiſsis, dicendum eſt ſpeciem expreſſam memoriæ nulla ratione ingignere alteram impreſſam in ipſamet memoratiua potentia, quæ augeat, & intendat impreſſam quam antea habebat. Ratio huius eſt, quia ſi talis ſpecies produceretur, aut eandem communicaret ratione cum illa ſpecie, quam antea habebat memoria, vel ab illa diuerſam; ſed neque eandem rationem poteſt participare, neque diuerſam. Ergo pacto nullo producitur, adſtruitur minor, ac in primis non eſſe eiuſdem rationis patet, quia eſſet producta ab ſpecie expreſſa memorię natura ſua diuerſa ab illa, quæ reſidit in æſtimatiua, aut in imaginatiua, & fuit cauſa efficiens ſpeciei impreſſę, quam antea habebat memoria. Ergo non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum illa; ſicut propter eandē rationē non ſunt eiuſ dē ſpeciei ſpecies impreſſæ productæ ab expreſsis

internorũ ſenſuũ,& externorũ, neq; enim huius, quã illius maior poteſt reddi ratio. ¶ Vlterius, nõ eſſe diuerſę ſpeciei: probatur, nã qualitas ſpecie diuerſa non poteſt alteram intendere, vt per ſe notum eſt.

Ratio autẽ potiſsima, cui velut vaſi hæc cõcluſio innittitur, eſt huiuſmodi; quia nullus reperitur finis propter quẽ poſita ſpecie expreſſa in aliqua poten tia, in ipſa vltra aliquid operetur in ordine ad cognitionẽ obiecti, ꝙ repreſentatur per talẽ ſpeciẽ expreſsã: quia vbi eſt imago formalis obiecti, nihil requirit amplius potẽtia. Quã ob rẽ, tũc ſolũ propter ordinem, & ſubordinationem potentiarum, ex ſpecie expreſſa potentiæ antecedentis, producitur ſemen obiecti, nimirum ſpecies impreſſa in ſubſequẽti potentia, tamen in ſe ipſa nihil agit.

Ad primã rationẽ reſpõdetur, cõcedẽdo ex pluribus actibus memorię circa aliquod obiectum melius, & facilius operari memoriã; hoc tamẽ nõ ducit ortũ ex eo ꝙ intẽdãtur ſpecies, aut producãtur denuo ex ſpecie expreſſa ipſius memorię: ſed præcedentibus multis actibus memoriæ operãtur, etiam per ſubordinationem ſenſus antecedentes circa idẽ obiectum, & ex expreſsis ſpeciebus horum ſenſuũ intendũtur, & augentur ſpecies impreſſæ memoriæ.

Accedit ad hoc habitus, qui in memoria ex pluralitate actuum impreſſus relinquitur, cuius ope, ac ſubſidio citra difficultatem operatur.

A ſecundam rationẽ reſponſum eſt affatim in fundamento concluſionis.

SEC-

SECTIO TERTIA.

Dubium tertium verificatur.

ERat tertium dubium, an scilicet memoria immediatè excipiat species impressas ab imaginatiua, vel solùm eas suscipiat ab æstimatiua potentia. Ratio dubitandi est, quia potentiæ istæ sunt subordinatæ, & altera prior altera in sua operatione, vt dictum est supra: ergo imaginatiua solùm producit speciem in æstimatiua, quæ est immediata potentia, & non in memoria.

Præterea, imaginatiua etiam conseruat species rerum, quas cognoscit: ergo non est cur producat alteram speciem in memoria, vt eam conseruet.

His positis dicendum est, memoriam non solùm recipere immediatè species ab æstimatiua, sed etiã ab imaginatiua. Sic constat ex D. Thom. quæst. 78. citata: vbi docet virtutem memoratiuam esse, quæ conseruat species sensatas, & insensatas.

Et ratio est, quia sæpè numero recordamur alicujus obiecti cogniti solùm ab imaginatiua, & non ab æstimatiua. Ergo imaginatiua produxit speciem illius obiecti in memoria nullo interueniente actu æstimatiuæ. Probatur antecedẽs, quia persæpè sensu cõmuni, seu imaginatiua cognoscimus Petrum,

aut Paulum in hoc, vel illo loco, cum hac, vel illa veste; sine eo quod operetur ęstimatiua circa illud obiectum, aut cognoscat eum sub ratione conuenientiæ, aut disconuenientiæ; & postea per actum memoriæ recordamur eiusdem Petri, aut Pauli, quem vidimus in tali loco. Ergo necessario fatendum est imaginatiuam immediatè producere speciem impressam in memoria.

Dices; si imaginatiua producit speciem immediatè, necessario efficitur per eandem speciem impressam productam ab imaginatiua ęstimatiuam, & memoriam munus suum exequi. Hoc autem est falsum, ex hijs quæ supra memorauimus: quia potentia quo est anterior, est minus perfecta, eiusque species cum potentia mediata, maioris perfectionis, nullo pacto conferri possunt, qua ratione species impressæ productæ ab expressis externorum sensuum improportionatæ sunt respectu ęstimatiuæ, licet imaginatiuæ sint proportionatæ, & sufficientes. Probatur autem sequela: quia imaginatiua vnam duntaxat speciem producit impressam, neq; vllo modo fieri potest, vt duas diuersæ rationis producat, alteram cum qua operetur ęstimatiua, alteram cum qua memoria, propter eandem rationem paulò antea prolatam; quia si imaginatiua est imperfectior potentia quam ęstimatiua, species impressa producta ab imaginatiua, erit improportionata respectu memoriæ.

Res-

Reſpondetur negando ſequelam, & ad probatio nem dico; anteriorem potentiam, & quæ ſub ſe habet alias potentias poſteriores, non ſolum producere vnicam ſpeciem, ſed duas, vt quælibet illarum potentiarum peculiari cognitionis munere fungatur circa illud obiectum, quod ab ipſa cognitum eſt: qua ratione ęſtimatiua, non ſolum producit ſpeciem impreſſam in memoria ſenſitiua, ſed etiam in intellectu, quia iſtæ duæ potentiæ ſunt poſteriores in ſua operatione.

Ad id autem, quod dicitur potentias eo ipſo eſſe perfectiores natura, quo ſunt poſteriores. Reſpondetur; id quidem nos concedere, ſed memoriam non eſſe poſteriorem ęſtimatiua reſpectu imaginatiuæ, neque per ſpeciem impreſſam, quam producit ęſtimatiua in memoria, cognoſcit obiectum memoria, vt cognitum ab imaginatiua, ſed per ſpeciem quam imaginatiua immediatè imprimit in memoria.

Sed inquires fortaſſe, an hæc duæ ſpecies productę ab imaginatiua ſint eiuſdem, an diuerſę ſpeciei. Enimverò ex vna parte cum deſeruiant diuerſis potentijs, videntur diuerſæ ſpeciei: ex altera verò cum producantur ab eadem ſpecie expreſſa imaginatiuæ, & repreſentent idem obiectum eodem modo cognitum, non videntur diuerſæ naturæ.

Respondetur probabilius esse, has duas species essentialiter specie differre, eo quod diuersis natura potẽtijs deseruiunt; diuersæ autẽ specie potẽtię, diuersum principium operandi specie distinctum suo iure vendicant: quia diuersum actum, & diuersum modum operandi habent: & nihil prohibet, quo minus ab eadem specie expressa ęstimatiuæ producantur duæ impressæ diuersæ speciei, altera in memoria sensitiua, altera verò in intellectu.

Ex dictis soluitur nodus, qui in principio occurrebat.

Ad secundum verò respondetur; etiam si imaginatiua conseruet species opus etiam esse, vt producat denuo speciem in memoria; quoniam imaginatiua per species, quas seruat non potest cognoscere obiecta, vt iam antea cognita, & sensata tempore pręterito; vt latius paulò post disputabimus, vbi ad illum locum ventum fuerit.



CAP.

CAPVT VI.

Qua ratione memoria excitet alios ſenſus anteriores, & appetitum ſenſitiuum ad operandum.

SECTIO PRIMA.

Proponitur ſententia illorum, qui exiſtimant memoriam ſuppeditare ſpecies alijs ſenſibus interioribus.



EMORIAM, locupletiſsimum eſſe theſaurum rerum omnium, quæ à ſenſibus cognitæ, ac perſpectæ ſunt, grauiſsimis teſtimonijs, tùm ex Ariſtotele, tùm ex Diuo Thoma, ſupra probauimus. Adiungatur his Romanæ eloquentiæ Princeps, qui memoriam definiens dicit eſſe formarum omnium, rerum, & verborum, diſpoſitionis perceptionem; ex hoc vulgari modo loquendi authorum orta eſt

ſententia communis, quam ſcriptores omnes pariter amplectuntur: memoriam ſcilicet excitare reliquos ſenſus interiores ſuppeditando illis ſpecies, per quas operentur circa obiectum cuius recordamur: hanc firmiter tuentur inuiolabili doctrinæ tenore, ij omnes, qui exiſtimant memoriam ſolùm eſſe potentiam paſsiuam, receptiuam, & conſeruatiuam ſpecierum, quos ſupra retulimus cap.2. Et ex his, qui exiſtimant memoriam, non ſolùm recipere rerum imagines, easque conſeruare, ſed etiam habere actum vitalem, & cognitionem obiectorum; eam tenent Auic.fen.1.lib.1.doct.6. cap.5. vbi de memoria loquens ait: [Eſt theſaurus eius, quod peruenit ad ęſtimatiuam.] Vbi illa particula, peruenit, clarè demonſtrat communicationem ſpecierum. Idem etiam tenet fen.1.lib.3.tract.4.cap.7.vbi docet imaginationem pati poſſe læſionem, eo quod memoria prius ſit lęſa, quod nulla alia ratione fieri poteſt, niſi quod memoria non ſubmittat ſpecies ſuas imaginationi. Horum ſententię calculum ſum adiũgit Aetius, cap.de phrenitide, his verbis: [Poſteriori autem parte circa occipitium læſa, perit memoria, & cum illa omnino etiam reliquæ duæ facultates.] Idem ſequitur Gentilis in expoſitione capitis Auicenæ, & ex iunioribus Valleſius.3.lib. de locis affectis, cap.2.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quod addu-

citur

citur à Vallesio eodem loco, potest enim vsu venire, vt homo non prospiciat imminentem mali alicuius procellam, quod eorum signorum quibus portendebatur fuerit oblitus: id autem non aliter contingit, nisi quia ratio suo munere fungi nequit defectu memoriæ; quia ab illa non recipit species.

Adducit præterea aliud exemplum canis: nam si canis recordetur in certo loco esse equum mortuum, iudicetque vitæ tuendæ esse idoneum statim actu appetitus præcedēte, mouetur ad illum, quod iudicium æstimatiuæ est, neque aliter quā eo quod recipiat species à memoria; præsertim cum æstimatiua in communi opinione Philosophorum non conseruet species transacta operatione, illasque à memoria recipiat.

SECTIO SECVNDA.

Refellitur sententia præcedenti sectione posita.

SEntentia tamen supra posita falsa est in vtraque opinione; quod quidem his argumentis conuincitur: quia si memoria suppeditat speciem sensibus antecedentibus, aut producitur talis species ex impressa specie, quam in se continet, & conseruat, aut ex expressa producta per actum memoriæ; sed neque impressa, neque expressa possunt

produ-

producere talem ſpeciem in ſenſibus antecedenti-bus: igitur nulla ratione producitur, maior eſt certa, quia non eſt aliud principium, à quo produci poſsit. Probatur minor, in primis de impreſſa (vt ſit communis ratio aduerſus illos etiam, qui tenent memoriam tantum eſſe potentiam paſsiuam) quia ſi ſpecies impreſſæ memoriæ producunt alias impreſſas in æſtimatiua: (vt hoc interim exempli gratia adducamus,) aut tales ſpecies ſunt eiuſdem rationis cum illis, aut diuerſæ; ſed neque poſſunt eſſe eiuſdem rationis, neque diuerſæ. Ergo non producũtur. Minor firmatur, quoad primam partem, nã potentiæ eſſentialiter diuerſæ, diuerſum principiũ operandi poſtulant; quia diuerſum actum, & modũ operandi habent, vt ſupra diximus; & latè probant Philoſophi. 3. lib. de anima, cap. 3. Sed imaginatiua, & æſtimatiua, potentiæ ſunt eſſentialiter diuerſæ à memoria, vt prædicti authores concedunt; debent igitur operari per ſpecies diuerſæ naturæ ab illis quibus operatur memoria.

Probatur modò quoad ſecundam partem, quia ſpecies impreſſa, non poteſt producere alterã ſpeciem impreſſam eſſentialiter diuerſam, ſed ſolùm expreſſam illius potẽtiæ cui hæret; quia ſpecies impreſſæ ſunt ſemina quædam, & inſtrumenta obiectorum, quibus mediantibus uirtutem ſuam coniungunt poſtentijs, vt docet Ariſt. 2. lib. de anima. c. 6. & na-

& natura ſua ordinantur ad producẽdum verbum, ſeu ſpeciem expreſſam; qua ratione ſemen animalis natura ſua ad generationẽ animalis dirigitur; nõ verò ad productionem alterius ſeminis ſpecie diuerſi.

Quod verò, neque ex ſpecie expreſſa memoriæ poſsit produci altera impreſſa in imaginatiua, aut æſtimatiua, hac ratione fulcitur; quia quælibet potentia propriam, & determinatam poſsidet ſpeciem magis, aut minus abſtractã à materia, quo plus, aut minus materiæ habet ipſa potentia: ſic ſenſus exteriores, quia materiæ cęno magis ſunt immerſi, immutãtur ab ſpeciebus immediatè productis ab obiectis; quia tamen tales ſpecies improportionatæ ſunt reſpectu ſenſuum internorum, opus eſt vt ex imagine, ſeu ſpecie expreſſa ſenſus exterioris, producatur in ſenſu interiori ſpecies impreſſa, minus materię habẽs. Et eadẽ ratione ex ſpecie expreſſa ſenſus interioris, qui in operationis munere primas tenet, producitur alia ſpecies impreſſa in alio ſenſu interiori ſubſequẽti: vt hoc pacto ſpecies cũ potentijs certa proportione adęquẽtur: vt latè probãt Philoſophi. 3. lib. de anima. c. 3. quos ſequitur Ludouic⁹ Mercat. to. 1. ſuorũ operũ, li. 1. claſe 5. c. 5. & quẽadmodũ quo amplius materię habet aliqua ſpecies reſpectu alicuius potẽtiæ, nõ eſt illi proportionata; ita ſi immaterialior exiſtit, erit etiam improportionata potentiæ magis materiali: neque enim ſpecies impreſſa

impressa coloris, qua operatur æstimatiua potest esse proportionata potentiæ visiuę; sed species impressæ, quæ possunt produci ex expressis memoriæ, sunt magis abstractę à materia, quam postulat imaginatio: quia sunt productæ ex immaterialiori specie expressa, quam sit species expresa sensuum externorum, ex quibus species producuntur in imaginatiua. Ergo nullam proportionem ad illam habent.

Dices, speciem expresam memoriæ causam esse æquiuocam, à qua effectus diuersæ rationis, & imperfectioris naturæ produci possunt, ideoque mirum non est si producat species impresas magis materiæ habentes, proportionatasque imaginatiuæ, & ęstimatiuæ.

Sed contra hoc est. Primo, si species expresa memoriæ causa est ęquiuoca, qua ratione fingit argumentum, sequitur inde, nulla ratione pose ęstimatiuam, aut imaginatiuam operari, nisi memoria actu etiam operetur cum illis, quod falsum est, & contra experientiam. Probatur sequela, quia diffusa species ab specie expresa memoriæ, dependet in conseruari ab illa; ergo simul operantur istæ potentię: consequentia est certa, quia dum adest species expresa in aliqua potentia, actu est operãs talis potentia. Quod autem dependeat in conseruari à tali specie expresa, inde constat, nam si solũ conser-

conſeruari poſset ab imaginatiua, aut æſtimatiua, non eſset opus, vt memoria diffundẽdo ſpecies dictas potentias excitaret; neque ipſi ſoli ſpecierum theſaurus commendaretur.

Secundo, ſi ex ſpecie expreſsa memoriæ poteſt produci altera impreſsa, quæ ſit proportionata cũ imaginatiua; igitur & ex ſpecie expreſsa imaginatiuę, ſimiliter poteſt diffundi impreſsa in ſenſibus externis; par eſt vtriuſq; ratio: ſed hoc manifeſtè rationi, & experientiæ repugnat: quia ſenſus exteriores, vt docet Ariſt. 2. lib. animæ, cap. 5. ſolùm operantur quando obiecta ſunt præſentia, & producentia ſpecies; quod eſset falſum, ſi ex imaginatiua poſſent iterum ſpecies produci in ſenſibus externis: nam etiam ſi obiecta non eſsent pręſentia, poſsent percipi ab ipſis.

SECTIO TERTIA.

Obiectiones aliquot ex Ariſtotele, & D. Thoma proponuntur, & ſoluuntur.

Dices, ex eodem Ariſtotele intelligi poteſt, lib. de inſomnis, haud procul à fine; ſimulacra ſenſuum internorum ad externos ſenſus reddire, his verbis: [Interdum enim, quæ apparent ſimulacra dormienti deprehendet expergefactus, eſse

esse motus insensorijs, quibusdam enim puerorum, & his qui acriter cernunt, etiam si sint in tenebris, simulacra apparent multa, quę mouentur ita vt velentur frequenter timentes.] Idem cum Aristotele, censet Auerroes paraphrasi de insomnijs, & 3.lib. Collectanearum, cap.38. D. Tho. in 2. dist. 8. art. 5. ad 4. eandem sententiam confirmat his verbis: [Dicendum quod formæ, quæ videntur in istis præstigijs, non sunt nisi in sensu. Hoc autem potest dupliciter contingere per dæmonum operationem; vno modo vt species, quę sunt in imaginatione seruatę, operatione dæmonum ad organa sensuum fluant, sicut contingit in somno, & ideo quando illæ species contingunt organa sensus exterioris videntur, ac si essent res præsentes extra, & actu sentiuntur.]

His adstipulatur Vega. 1. prognosticorum. 19. & 3. lib. methodi, cap. 3. vbi plurimis Hippocratis, & Galeni testimonijs id probat.

Respondetur ibi locutum fuisse Aristotelem de illo qui debiliter dormit, nam talis aliquid sensu ex oterno potest percipere: quia leuis, aut exigua obstructio facta est in vijs, quibus communicantur spiritus animales ad sensum: & hoc patet, quia talis postquam expergefactus est simile percipit.

Ad authoritatem D. Thomæ respondetur, oppositũ sensisse in 4. dist. 44. q. 6. art. 1. quæstiuncula 3. vbi licet concedat posse iterum transferri species ad

ad organa ſenſuum moto ſubiecto, negat tamen eiuſmodi ſpecies ſufficere ad hoc, vt dicti ſenſus operentur. Et reprehendens eos, qui aſſerant in glorioſis corporibus, non fieri actu ſenſationem per productionem ſpecierum à ſenſibilibus externis factam, ſed à ſuperioribus virtutibus quemadmodum in hoc mortalis vitæ decurſu, ſuperiores virtutes recipiunt ab inferioribus: [Contra inquit, quia id non ſufficit ad ſentiendum ſiquidem omnis potentia paſsiua, ſecundum rationem ſuæ ſpeciei determinatur ad aliquod ſpeciale actiuum (habet enim ordinem ad illud cuius dicitur) ſed proprium actiuum, in ſenſu exteriori eſt res extra animam exiſtens; & non ſpecies, ſiuè intentio exiſtens in imaginatione. Ergo ſi non immutatur ab illo, ſed à re, quæ exiſtit in imaginatione, non erit vere ſentire.] Quibus etiã hoc addit hiſce verbis. [Vnde, non dicimus quod phrenitici, & alij mentecapti, in quibus propter victoriam imaginatiuæ virtutis fit huiuſmodi fluxus ſpecierum ad organa ſentiendi vere ſentiant, ſenſus verò exterior non operatur illis; neque enim eſt impoſsibile, ſi ſpecies ſimiles, ac ſunt in imaginatione conſeruantur in ſpiritibus, cum illis ſimul deduci ad organum viſus exiſtente ſubiecto ſimul cum illis; tamen non erunt principium viſionis, etiam ſi in potentia producerentur ſimiles.]

Ex hoc D. Thomæ loco constat facile solutio ad omnia testimonia, quæ adducuntur à Vega loco citato, ex Hippocrate, & Galeno, quę breuitatis gratia prætermitto.

SECTIO QVARTA.

Solutio argumentorum, quæ sectione prima proposita fuere.

AD fundamentum porrò oppositę sententiæ in prima sectione adductum respondetur: & primo quidem testimonia obiecta ex Auicena facile enucleari possunt: nam primo non inquit memoriam esse thesaurum eius, quod promanat ex ea postmodum ad æstimatiuã per productionẽ in illam; sed quod peruenit ab ęstimatiua, ita vt præpositio, ad, vsurpetur pro, ab, & hoc pacto intelligendum esse Auicenam, constat ex sequentibus verbis, nam addit: [Sicut phantasia est thesaurus eius, quod peruenit ad sensum ex formis sensu perceptis:] Constat autem ex imaginatiua, non perduci species ad sensum communem, neque ad exteriorem.

Ad secundam authoritatem respondetur: non voluisse Auicenam lædi imaginatiuam lęsa memoria defectu specierum; sed solũ per cõsensum ea ratio-

ne, qua dicemus infra cum Valleſi argumentum ſoluamus.

Ad authoritatem Aecij reſpondetur, non locutũ fuiſſe ex propria mente, ſed ex mente Poſidonij.

Ad ea verò, quæ à Valleſio obijciuntur, Reſpondetur: actum æſtimatiuæ lædi poſſe læſo actu memoriæ propter connexionem, & dependentiam, quam habent inter ſe diuerſi actus: nam ſicut & ipſa obiecta diuerſa connexa ſunt inter ſe; ita & actus diuerſarum potentiarum circa eadem obiecta magnam inter ſe ſeruant connexionem: & ſic in caſu pręſenti minimè mirandum eſt, ſi homo non præuideat actu ęſtimatiuæ aliquod malum imminens memoriæ inopia; quæ verſatur circa illud, quod portendebat ipſum malum: nam ſi malum, & id, quod ipſum portendebat, habent inter ſe talem connexionem, vt vnum portendat alterum, non eſt mirum, quod actus, qui verſantur circa talia obiecta, etiã inter ſe maximam dependentiam habeant: & ſic defectu actus memoriæ ęſtimatiua, non præuideat eiuſmodi calamitatem.

Ad ſecundum exemplum de cane reſpondetur; quando recordatur canis equi mortui, & iudicat ſtomacho eſſe vtile, tunc æſtimatiuam non recipere ſpecies à memoria, ſed ab imaginatiua; quæ tunc etiam operatur circa abſentem equum cognoſcendo eum.

SECTIO QVINTA.

Veræ sententiæ explicatio.

SVpposito ergo, quod memoria excitat alios sensus ad operandum, quando ipsa etiam operatur (vt omnes concedere tenentur in omni opinione) & hoc non fit per communicationem specierum, quemadmodum probatum est, respondere restat quæstioni supra positæ; & indagare qua ratione contingat talis excitatio.

Pro huius rei enodatione breuiter supponendum est; non solùm memoriam cõseruare species rerum quas cognoscit, sed etiam imaginatiuam, & æstimatiuam: vt latè capite sequenti probabo. Hoc supposito fundamento dicendum est, quod memoria quãdo actu operatur circa obiectum præteritum vt sic, ab eadem causa, siuè interna, siuè externa, à qua excitantur species memoriæ circa hoc obiectum, & non circa aliud (de quo infra agemus) etiam suscitari species circa idem obiectum in imaginatiua, & æstimatiua: & sic omnes potentias simul operari circa idem obiectum; neque enim alius modus excogitari potest, quo memoria excitet alias potentias anteriores.

Dices

Dices, si eadem est causa, quæ suscitat species memoriæ, & imaginatiuę, non erit maior ratio cur excitet prius memoriam, quam imaginatiuam: vnde potius credendum est imaginatiuam excitare memoriam, quam è contrario, vt proprius rationi, & veritati videtur: quia species imaginatiuæ sunt magis materiales, quam illæ, quæ seruantur in memoria; vt supra dictum est; & sic erunt magis proportionatæ causæ internæ, aut externæ corporali, quæ excitat tales species.

Ex his dictis etiam efficietur necessario conseruandas esse species in imaginatiua, & æstimatiua omnium rerum, quæ seruantur in memoria. Probatur sequela, quia circa quamlibet rem, quam cognoscimus actu memoriæ, alij sensus anteriores, etiã operantur illam cognoscendo peculiaribus suis cognitionibus, vt vnusquisque in se potest experiri; hoc autẽ videtur falsum, quia plurimi sunt magna memoriæ vi pręditi, ita vt conseruent plurium rerum imagines, & tales habent debilem, & imminutam imaginatiuam, aut æstimatiuam, vt in melancholicis quotidie experimur, qui plurium rerum recordantur, quarum nullam vtilem compositionem imaginatiuę subsidio coaugmentare, neque conuenientiam, aut disconuenientiam cognoscere possunt. Ergo non est credendum memoriam alios sensus interiores huiusmodi ratione excitare.

Respondetur ad primum, quando causa excitās memoriam est extrinseca, quę immutat sensum aliquem exteriorem, tunc absque dubio prius excitatur imaginatiua, & vltimo memoria: quia prius producitur denuo species in imaginatiua, vt in potentia anteriori in sua operatione, qua ratione supra probatum est; tamen si causa quæ mouet, & suscitat memoriam est intrinseca, vt sunt humores, aut spiritus, tùnc aliquando excitant prius memoriam, aliquando verò imaginatiuam, prout organũ magis, aut minus instructum est, ac dispositum ad hoc, vt potius operetur memoria, quam imaginatiua, vel èecontra.

Ad id verò quod argumentum continet nimirum species imaginatiuæ plus materiæ habent, quã illæ, quæ seruantur in memoria. Ergo sunt magis proportionatè causæ externæ corporali, quæ excitat tales species.

Respondetur, si causa sufficiat ad suscitandas species vtriusque potentiæ, simul excitabit eas, etiam si non sint æqualiter materiales (hoc enim parum interst, supposito quod species excitantur nullo resistente contrario) & tunc operabitur prius potentia, quæ magis disposita fuerit.

Ad secundum respondetur concedendo sequelam, hoc enim nullum reputo inconueniens, immò iuxta Aristotelis sententiam. 3. lib. animæ, cap. 3. plures

plures ſpecies conſeruantur in imaginatiua, quam in memoria; nam ſermonem conferens de imaginatiua docet, hoc habere peculiare inter alios ſenſus, vt liceat nobis imaginari quando volumus; quod de memoria minimè affirmari poteſt, quia pluries volumus alicuius rei recordari, & non poſſumus.

Neque alicuius momenti eſt exemplum adductum: nam licet contingere poſsit læſam eſſe imaginatiuam deprauatè illæſa memoria, vt in caſu poſito, tamen diminute, aut abolite defectu ſpecierum nullo modo: & ſic, etiam ſi melancholicus nullam vtilem compoſitionem faciat per actus imaginatiuæ, tamen abſque dubio cognitionem attingit illarum rerum, quæ memoriæ occurrunt, & ſic omniũ illarum habebit ſpecies.

SECTIO SEXTA.

Qua ratione memoria excitet appetitum.

CIrca vltimum, quod inquirit quęſtio, qua ſcilicet ratione memoria excitet appetitum ſenſitiuum, breuiter dicendum eſt, memoriam nõ excitare immediatè appetitum, ſed mediatè ſuſcitando prius ęſtimatiuam: hæc enim imme-

 diatè

diatè mouet appetitum, quia est potentia, quæ cognoscit obiecta sub ratione conuenientiæ, aut discõuenientię; & sic eius actum immediatè cœcus appetitus amplectitur, aut fugit, nisi aliter imperetur illi à voluntate, cui subijcitur, iuxta illud Genesis c. 4. [Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.] Sed qua ratione, & quot modis appetitus subijciatur voluntati, non est nostrum disputare, consulendus de his est Diu. Thom. 1. parte, quęst. 81. artic. 3. & 1. 2. quęst. 9. artic. 2. Conimbricenses. 3. lib. animæ, cap. 13. quæst. 1.



CAPVT VII.

An imaginatiua, & æstimatiua conseruent species.

SECTIO PRIMA.

De munere, & officio internorum sensuum.

MEDICORVM Corypheus Galenus, lib. de different. sympt. cap. 3. reliquumque fere vulgus Græcorũ tres duntaxat statuunt sensus interiores; quorum vnum imaginatiuam, alterum æstimatiuam, seu rationem, ac tertium denique memoriam indigitant. Eundem numerum constituunt D. Gregorius Nissenus, lib. 4. de viribus animæ, c. 6. & 7. D. Damascenus, lib. 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 17. D. Nemesius de natura hominis, cap. 6. alijque plures Philosophi ¶ Explicandũ nobis necessario esse video, quæ sint munera, qui actus, & officia cuiuscunque sensus interioris in particulari: vt inde propositę dubitationis nodum facili negotio dissolua-

mus. Et quia memoriæ proprietates, actus, & exercitia iam supra dicta sunt, & amplius infra explanabuntur; in præsenti capite solùm imaginatiuæ, & æstimatiuæ officia explicabimus.

Imaginatio, quam definit Arist. 3. lib. animæ, c. 3. per motum factum à sensu in actu, id est per cognitionem eius, quod ab alijs sensibus sensatum est: si summatur pro potentia, potest definiri, qua ratione eam definit Toletus. 3. lib. animæ, cap. 3. quæst. 6. [Est potentia apta moueri ab his, quę ab alijs sensibus iam sensata sunt.] Huius potentiæ munus, seu exercitium est cognoscere omnia obiecta sensata à sensibus exterioribus, à quibus omnibus recipit species: cognoscit autem hęc obiecta, non solùm cũ præsentia sunt; sed etiam absentia. Prætereà non solùm cognoscit obiecta absentia, & præsentia, sed ex duobus simplicibus sensatis per sensus externos cõponit tertium: vt ex monte, & auro, aureum montem, & alia similia; vt docet Aristot. eodem loco: & secundum illam operationum varietatem; varijs nominibus solet nuncupari, nam quando solùm sensibilia pręsentia cognoscit, dicitur sensus communis: quando absentia phantasia: quando verò componit, propriè dicitur imaginatiua: quę omnia enucleate ab Arist. cap. memorato, explicantur: isti autem tres actus diuersi ab eademmet potentia procedunt, vt probant recentiores Philosophi, videantur

tur Rubius. 3. lib. animæ, cap. 3. & Murcia de la Llana eodem loco. His etiã addo phantaſiam idem aput Græcos ſignificare, quod aput Latinos imaginatio: vt notat Toletus. 3. lib. animæ, c. 3. q. 7.

Aſtimatiua potentia eſt, quæ percipit obiecta iam prius ſenſata à ſenſu communi, ſeu imaginatiua; modò tamen peculiari, ſub ratione ſcilicet conuenientiæ, aut diſconuenientiæ; cognita conuenientia, aut diſconuenientia per ſpecies inſenſatas, quas ex ſenſatis elicit: vt fuſe explicant Philoſophi loco ſupra allegato, & cum eis Ludouicus Mercatus, tom. 1. ſuorum operum.

SECTIO SECVNDA.

1

Dubium quæſtionis examinatur quantum ad imaginatiuam.

SVppoſitis quæ dicta ſunt præcedenti ſectione, dubium præſentis capitis eſt, vtrùm prẹter dictos actus, & officia, quæ imaginatiua, & aſtimatiua exequuntur, conſeruent etiam ſpecies rerum, quas cognoſcunt. Et quantum ad imaginatiuam eſt prima ratio dubitandi deſumpta ex Ariſtotele loco ſupra allegato: vbi definit imaginatiuam per motum factum à ſenſu in actu; id eſt per potentiam, quæ actu mouetur ad ſuam operationem à

ſenſu aliquo externo:ſic enim Ariſtotelem Philoſophi prope omnes exponunt. Si ergo actu mouetur à ſenſibus exterioribus ad ſuam operationem, ſuperfluum eſt conſtituere ſpecies in imaginatiua.

Prçtereà, memoria ſeruat ſpecies rerum omniũ, quç ab imaginatiua cognitą ſunt, vt probatum eſt ſupra ex ſententia D.Thom. Ariſtotelis, & Galeni. Ergo ſuperfluum eſt ſimiles ſpecies conſtituere in imaginatiua.

Nihilominus, vniuerſum Philoſophorum, & Medicorum cętus paſsim tenet imaginatiuam conſeruare ſpecies rerum omnium, quas cognoſcit: ſic docet Ariſt.3.lib.animæ, cap.3.vbi inter alia nobis licere aſſerit imaginari quando volumus; & in fine capitis ſic loquitur: [Atque imaginationes immanent, ſenſibusque ſimiles ſunt.] Galenus etiam.2. lib.de motu maſculorum: [Imaginatrix ſi inſignes impreſsiones conceperit, conſeruat perpetuo eas; ſin verò obſcuras, & penitus ſuperficiarias, non cõſeruat.] Eandem ſententiam tenet D.Thom. opuſculo 43.cap.4.& 1.par.quæſt.78.artic.4. & Caietanus ibidem. Auicena fen.1. lib.1. doct.6.cap.5. his verbis:[Phantaſia verò eſt illa, quæ eas cuſtodit poſtquam coniunguntur, & retinet eas poſt ſenſus abſentiam.] Idem ſentiunt Auerroes.3.lib.de anima, cap.6.Ferrara eodem lib. quæſt.3. Conimbricenſes, cap.3.artic.3.eiuſdem lib.& Toletus.3.lib. animç, cap.3.

Huius

Huius concluſionis ratio eſt; quia animalia ſenſu interiori, non ſolùm cognoſcunt obiecta pręſentia, a quibus actu immutantur; ſed etiam abſentia, à quibus nulla ratione poſſunt moueri. Ergo neceſſario aſsignandum eſt principium, à quo ſenſus interior determinetur ad talem cognitionem: hoc autem nullum aliud eſſe poteſt niſi ſpecies impreſſa. Ergo neceſſario conſeruat ſpecies impreſſas.

Ad rationes dubitandi reſpondetur, & primo ad authoritatem Ariſt. dicendum eſt nulla ratione voluiſſe imaginationem ſemper moueri a ſenſu in actu, ita vt operetur neceſſario ſenſus anterior, ad hoc vt ipſa munus ſuum obeat; ſed tantum imaginationem, ſeu phantaſiam eſſe motum à ſenſu in actu, quantum ad primum principium cognitionis, ita explicat Ariſtotelem. D. Thom. 1. par. q. 3. art. 3. ad 1. his verbis: [Ad primũ dicendum, quod principium phantaſis eſt à ſenſu ſecundum actum; non enim poſſumus imaginari, quæ nullo modo ſentimus, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem: ſicut cœcus natus, non poteſt imaginare colorem; illudque eſt verum quantum ad productionem ſpeciei impreſſæ in phantaſia: illa enim à ſenſu in actu producitur; id eſt quando actu operatur, ſi datur ſenſus communis diuerſus dum operatur ab iſto, ſecus ab exteriori.] Quaſi dicat imaginatio fit interuentu ſpecierum, quæ productę fuerunt à ſenſu

in actu:

in actu, quantum ad primam eius productionem.

Ad secundum respondetur, etiam si memoria cõseruet species rerum minimè tamẽ superuacaneum esse constituere species in imaginatiua propter diuersum modum, quo illę repręsentant; nam species memoriæ repræsentant obiecta præterita vt præterita; imaginatiuæ verò solùm repræsentant illa vt absentia, aut præsentia.

Prętereà, imaginatiua per suas species excitat alios sensus interiores ad operandum circa obiecta absentia; memoria verò, vt supra probauimus, nulla ratione potest excitare per suas species sensus interiores. Vtile igitur, atque apprimè necessarium est animalibus earum rerum, quas cognoscunt, species ab imaginatiua conseruari.

SECTIO TERTIA.

Quid de æstimatiua sentiendum est.

ENim verò haud paulò maiori cum difficultate discernitur, an æstimatiua conseruet species, & ratio dubitandi est. Primo, ex Aristotele loco supra allegato, qui soli imaginationi licere existimat imaginari quando volumus: quia conseruat species; idem etiam liceret ęstimatiuæ, si eas conseruaret.

Præ-

Præterea, si æstimatiua conseruat species, superuacaneum est constituere potẽtiam memoratiuam distinctam ab illa. Probatur assertum, quia æstimatiua cognoscit per species insensatas. Ergo est thesaurus specierum insensatarum; sed species memoriæ sunt insensatę, vt omnes fateri tenentur; ergo conseruantur in thesauro æstimatiuæ, operatur igitur cum illis æstimatiua, & consequenter nulla est ratio, cur hæ potentiæ distinguantur.

Præterea, si æstimatiua conseruat species insensatas, quando cum illis operatur in absentia obiectorum, necessario cognoscit talia obiecta cum differentia temporis præteriti, & loci. Ergo superfluũ est constituere potentiam memoratiuam. Consequutio probatur: species, verbi gratia, insensata, qua cognoscitur inimicitia lupi: vt supra vidimus ex D. Thom. eadem realiter est cum illa sensata, quæ representat æstimatiuæ figuram lupi. Ergo hæc eadẽ species si seruetur in æstimatiua suggeret huic potentiæ locum, & tẽpus, in quo lupus cognitus fuit. Hæc vltima consequentia roboratur, quia talis species potest representare locum, & tempus, in quo cognitus fuit lupus (sunt enim hæc insensata, vt inimicitia) ergo quemadmodum representat inimicitiam, representabit etiam locum, & tempus, & consequenter non distinguetur à memoria.

Nihilominus tamen veriorem autumo sententiã,

quæ asserit æstimatiuam conseruare species impressas, quas recipit à sensu communi, seu imaginatiua; & posse operari cum illis in absentia obiectorum: etiam si actu nō operetur imaginatiua. Sic sentiunt Conimbricenses. 3. lib. animæ, cap. 3. quæst. 1. ar. 3. Valleriola, lib. de differentijs simptomatum, c. 3.

Aliqui ex eo solum veram esse existimant hanc sententiam; quia lędi potest æstimatiua, nullo modo læsa imaginatiua, vt constat ex Galeno. 4. lib. de locis affectis, cap. 2. exemplo illius, qui vasa vitrea per fenestram proijciebat. Ergo ex se adseruat species æstimatiua, à quibus obiecta praué, & ignoranter illi proponuntur; quę tamen ratio nihil probat, nam etiam si imaginatiua non sit lęsa potest æstimatiua in errorem incidere per speciem productam ab imaginatiua; eo quod lęsa sit dispositio naturalis, quam requirit ęstimatiua ex parte organi, vt bene operetur: qua ratione in externis sensibus fieri experimur, nam potentia visiua exempli gratia, quando eius organum male affectum est errat circa propria sensibilia, vt laté probat Galenus. 1. de causis sympto. cap. 2.

Et licet hęc ratio parum efficax videatur, alijs tamen argumentis, haud paulò præstantioribus stabiliri potest: quia æstimatiua recipit species ab imaginatiua eadem ratione, ac memoria, & in eadem parte cerebri cum illa, & cum memoria sedem obtinet:

tinet: quemadmodum cap. 3. fuſe probatum eſt. Ergo eadē diſpoſitio materialis eſt ex parte organi ad conſeruandas ſpecies ęſtimatiuę, ac aliorum internorum ſenſuum; neque eſt cogitabilis aliqua probabilis ratio, quę conuincat conſeruari ſpecies aliarum potentiarum, & non ęſtimatiuæ, ſi omnes ſunt in eodem organo.


Ad obiecta reſpondetur, & primo, ad authoritatem Ariſt, ibi ſolùm probare Ariſtotelem imaginationem non eſſe ſenſum aliquem exteriorem; inter cæteras porrò eius rationes, hæc haud infimum locum tenet; licere quidem nobis imaginari quando volumus; quod minimè poteſt conuenire ſenſui externo.

Ad primam rationem reſpondetur, ęſtimatiuam non ſolum eſſe theſaurum ſpecierum inſenſatarum, ſed etiam ſenſatarum, nam ſuperfluum eſſet conſtituere duplicem theſaurum ſpecierum, alterum ſenſatiuarum, alterum verò inſenſatiuarum: vt doctè notarunt Conimbricenſes loco ſupra citato; & ſic ęſtimatiua conſeruat ſpecies ſenſatas productas ab imaginatiua, & ex illis elicit inſenſatas, eodem modo, quo D. Thom. paulò ante memorauit.

Neque aliquid ſuadet ratio, etiam ſi æſtimatiua ſolùm eſſet theſaurus ſpecierum inſenſatarum: ex hoc enim non deducitur conſeruare ſpecies memo-

riæ, etiam si sint insensatæ; quia istæ sunt species alterius potentiæ quam immutant, & à qua conseruantur.

Ad secundam rationem respondetur, etiam si eadem specie realiter, qua figura lupi representatur, cognoscat ęstimatiua inimicitiam, quam imaginatiua propter imperfectionem suā cognoscere haud quaquam potuit, non tamē sequi æstimatiuam cognoscere etiam differentiam temporis præteriti, & loci per eandem speciem, quia hoc ad perfectiorem potentiam spectat nimirum ad memoriam.



CAPVT VIII.

Aliquot dubia problematica diſoluuntur.

SECTIO PRIMA.

Cur potius vnius rei, quam alterius recordamur.

PROBLEMA ſeſe nobis nõnullis difficultatum tendiculis, ac nodis irretitum offert: in quibus ſoluendis Philoſophorũ iuſta, ac Medicorum exercetur induſtria. Et illi quidem huius rei cauſam reducendam eſſe putant ad motum localem ſpirituum vitalium, & animalium; qui intra cerebri ſepta continentur, & in quibus maior pars ſpecierum memoriæ conſeruantur: ratione cuius motus, accedunt memoriæ ſpecies huius rei, & non alterius; & aut producunt denuo ſimilem ſpeciem in memoria, ſi illa carebat, aut intendunt eam, quam antea poſsidebat, ita ſentiũt ij,

qui Aristotelis dogma, ac sententiam sequuntur, lib. de insomnis, circa modum quo insomnia determinata contingunt; nam Aristoteles totum effectũ tribuit motui spirituum, & vaporum intra cerebrũ.

Iste tamen dicendi modus à veritate abhorret, quia diuersæ species, diuersarum rerum non conseruantur necessario in diuersis spiritibus, sed in eisdem possunt recipi, & diu retineri variæ, ac diuersæ species diuersorum obiectorum, immò oppositorum cum inter se nullam inuoluãt repugnãtiam, & contradictionem; vt probant Philosophi. 2. lib. de anima, cap. 5. & 6. Ergo ex motu spirituum, non est cur magis excitentur species huius rei, quam alterius.

Preterea, si motus localis spirituum aliquid præstaret, solùm esset circa sensibile commune obiectorum; nimirum circa motum, nam motus spirituum solùm efficit, vt res quiete moueri videantur, vt in vertiginosis contingit, tamen intrinsicè non mutantur species ex tali motu; an verò tradita doctrina circa insomnia sit spuria, & supposititia, an genuina magni illius Philosophorum parentis Aristotelis, non est huius loci disputare. Hæc tamen duo argumenta, quæ posita sunt, efficaciter probant non esse sufficientem.

Pro huius controuersiæ explicatione supponendum est, quatuor esse causas ex quibus prouenire

posit,

posſit, vt huius rei potius, quam alterius recordemur: duæ ſunt intrinſicæ, & duæ extrinſicæ.

Intrinſicæ ſunt potentia imaginatiua, aut ęſtimatiua; nam per operationem iſtarum potentiarum excitari poſſunt ſpecies memoriæ ad peculiarem cognitionem obiectorum, quæ cognoſcuntur ab illis: altera cauſa intrinſeca ſunt humores, & vapores, qui ex ipſis elebantur, & huius, aut illius obiecti ſpecies ſuſcitant.

Extrinſicæ verò cauſæ, aut ſunt corporeæ, aut ſpirituales; corporeę ſunt obiecta aliqua, quę ab aliquo ſenſu exteriori percipiuntur, cum quibus habēt proportionem, & ſimilitudinem iſtę ſpecies, & non aliæ; ſpirituales cauſæ ſunt, aut Deus, aut Angeli boni, aut mali; ab his enim cauſis poſſunt determinatę ſpecies huius rei, & non alterius excitari in memoria, & fere eaſdem reddit Diu. Thom. 2.2. quęſt. 95. artic. 6. & quæſt. 154. artic. 5. circa determinata inſomnia.

Neque tamen facile aſsignari poteſt ratio, quare hę cauſæ excitent memoriam ad cognitionem huius rei, & non alterius: & primo circa primam cauſam internam, certum eſt fore vt operante phantaſmate, aut æſtimatiua, producant ſuas ſpecies in memoria, vt in potentia, quę extremas in operando partes tenet: & conſequenter eandem ad eiuſdem obiecti cognitionem excitabunt.

Sed difficilior vtique ratio in ſecundæ cauſæ intrinſicæ explicatione occurrit,pro cuius ſolutione notandum eſt neceſſario concedendam eſſe analogiam,& proportionem, quandam inter ſpecies rerum,quæ in memoria conſeruantur,& inter humores in corpore noſtro prædominantes: hanc enim authores, tam antiqui, quam neoterici admittunt. Sic Hippocrates lib.6. aphoriſmorum.53. Deliria quę cum riſu fiunt minus periculi habere docet; cuius rei rationem reddens Galenus in commentario aſſerit,ideo eiuſmodi deliria cum riſu eſſe ſecuriora,quia fiunt ex ſanguine aduſto, qui mitior humor eſt,quam bilis; ex bile autem aduſta phreneſes teterrime oriuntur. Et lib.de inſomnis,docet eum, qui inſomnis incendium proſpiciat flaua bile agitari,& 1.ępidemion,ſect.3.com.1. ſimilia exempla adducit. Et Auicena fen.2.lib.1.doct.3. cap.3. ſic loquitur: [Ille in cuius complexione eſt dominium caliditatis,vidit quaſi ad ignem calefieri.] Et infra: [Vnuſquiſque humorem habens dominantem vidit illud,quod ad humorē ſuum ſpectat.] Et Chriſtophorus de Vega in commentario aphoriſmis ſupra poſiti,his verbis ratiocinatur: [Rerum imagines mutant,&mouent vapores humorum vnuſquiſque pro ſua natura: ſanguis grata repreſentat, ac inde riſum commouet: melancholia rerum triſtium imagines offert,bilis flaua,& atra iram mouent,at-

que

que furorem.] Licet autem maior pars Philoſophorum,& Medicorum in id conſpiret, non tamen exponunt, quid humores diuerſi, & eorum vapores producant in memoria,aut eius organo ratione cuius excitetur per has ſpecies,& non per alias;ſed in re intricata, ac difficili nihil, aut veriſimile, aut probabile proferri poteſt, niſi produci ab ipſis humoribus, & vaporibus diſpoſitionem aliquam materialem in organo memoriæ, quæ efficit vt potentia vires ſuas exerat, magisque operetur harũ ſpecierum ſubſidijs quam aliarum, ob analogiam, & proportionem ſupra dictam.

Circa cauſas extrinſecas corporeas nulli dubiũ eſſe poteſt, quin ex cognitione externa aliquorum obiectorum excitetur memoria ad cognitionem plurium rerum,quæ cum ipſis, aut habent ſimilitudinem,aut connexionem;ſic enim viſo Petro,audito eius nomine illico, aut fratris eius, aut ſororis memoria animo obijcitur, aut libri recordamur; quem illi mutuum dedimus, aut iniuriæ grauioris, aut beneficij ab illo accepti: quia harum omnium rerum,&ſimilium ſpecies proportionem,ordinem, & connexionem inter ſe habent:& ſic poſita aduertentia, & attentione ex parte animæ ad cognitionem Petri conſequenter concurrit anima cum memoria,& præſtat attentionem ad cognitionem illarum rerum,quæ aut ſimilitudinem,aut connexionẽ aliquam habent cum illo.

Reliquum est vt explicemus, qua ratione Angeli boni, aut mali excitent memoriam ad cognitionem huius rei, & non alterius (nam de Deo dubium non est quin hoc facere possit, aut producendo speciem denuo, aut mouendo animam ad hoc, vt operetur cum hac specie, & non cum illa.)

Pro cuius enodatione supponendum est, Angelos siuè boni sint, siuè mali, nullum alium effectum corporeum ex se posse producere, nisi motum localem, ita sentiunt Theologi cum D. Thom. 1. par. quæst. 45. & quæst. 61. & 2. contra gentes, cap. 21. & multis alijs locis: licet Ferrariensis. 3. contra gentes, cap. 68. ex mente D. Thom. intendat probare Angelum in corporibus, vel lumen, vel motum, vel aliquid eiusmodi posse producere. Sed dubium nõ est quin aliæ partes huius distinctionis retractæ sint à D. Thom. vt optimè notauit Suarez. 2. tomo methaphisicæ, disputatione 35. sectione 6.

Hoc supposito tenendum est Angelos, siuè bonos, siuè malos excitare posse memoriam ad hanc vel illam operationem mouendo humores, & spiritus intra cerebrum; ratione cuius motus producitur aliqua dispositio materialis in organo proportionata his speciebus, & non alijs, eo quo supra diximus modo: tùm etiã mouendo corpora externa, & applicãdo actiua passiuis plures effectus possunt producere, qui externos sensus, ac memoriã ad illorum cognitionem excitent.

SECTIO SECVNDA.

Cur sæpe numero notissimarum rerum obliuiscamur.

HViusmodi difficultatem excitat Fracastoreus lib. de intellectione, circa medium: docet verò huius rei causam esse quod eo tẽpore, quo noti alicuius nominis recordari volumus, offerunt se se nobis plures species rerum, quæ similitudinem aliquam habent cum eo, quod indagamus: nam alia conueniunt in nomine, vel in principio eius, vel in fine; alia consentiunt in persona, vel figura, vel moribus, vel alia quauis simili re. Quando ergo volumus proferre nomen aliquod familiare plerumque occurrere solet, non id quod inuestigamus, sed quod aliquam illius, aut in principio, aut in medio, aut in fine similitudinem refert. Quòd autem id, quod minus familiare est prius occurrat ex hoc oriri putat, quod prius nobis repræsentetur hæc conuenientia, in qua dicta nomina consentiunt; & per inaduertentiam interdum occurrit, id quod est minus familiare: quod cum videamus non esse illud, quod quærimus paulis per confunditur anima, ex quo etiam magis obliuiscimur quæsiti nominis, & dum confunditur anima, con-

fundi etiam memoriam ostendit exemplo verecun diæ,& timoris:sępe enim ob hæc obliuiscimur non solùm nominum, sed etiam compositarum orationum. Huius dogmatis veritatem confirmat huiusmodi exēplo:heri volenti mihi proferre Dorotheæ nomen alioquin notissimum,& familiarissimum, & milies prolatum,nō poteram;sed modo Theodora occurrebat, modo Timothea, quæ nomina partim conuenientiam habent cum Dorothea,cuius causa primum fuit, quod per inaduertentiam, vt accidit non comparauerat partes nominis quæsiti in ordine suo, ita vt Doro, præcederet sequeretur verò thea,sed modo occurrebat,quod cum thea, conuenientiam habebat vt Timothea, modo quod conueniebat cum Doro,& cum thea;sed in verso ordine,vt Theodora cuius perturbationis fluctibus agitata mens ita ęstuabat, vt nunquam aut emergere,aut quęsiti nominis recordari posit; nisi post modum quando sublata confusione, me etiam nolente occurrit Dorotheæ nomen.

Hęc doctrina licet veritati consentanea sit, aliqua tamen habet,quæ indigent explicatione,& primo enodandum est cur conuenientia illorum nominum prius occurrat memoriæ;& est ratio dubitandi,nam cōuenientiæ communis nulla datur species in memoria; tùm, quia memoria solùm cognoscit singularia; tùm, quia non percipit conuenientiam,

aut

aut diſconuenientiam, quia hoc munus eſt æſtimatiuæ. Præterea, etiam ſi eſſet ſpecies conuenientiæ, non eſt cur hæc prius occurrat, quam ſpecies familiariſsimi nominis.

Huic argumento reſpondetur: non voluiſſe Fracaſtoreum repreſentari prius memoriæ conuenientiam in communi per aliquam ſpeciem, hoc enim fieri non poteſt, quia neque datur talis ſpecies impreſſa, quæ repreſentet naturam communem, neque memoria poteſt cognoſcere niſi ſingularia. Solum igitur vult Fracaſtorius, quod cum magis cōmune repreſentetur per plures ſpecies, ſingulare verò per vnam, minori labore occurrere ſolet memoriæ, quod eſt magis commune quam ſingulare; & in eodem exemplo adducto à Fracaſtoreo maniſeſtè videri poteſt, nam in Dorothea vnica tantū ſpecies eſt, quę repreſentat hoc nomen ſingulare, tamen Doro, & thea, ſeorſim, non ſolùm repreſentantur vnica ſpecie, ſed pluribus; vt thea, exempli gratia in Theagene, in Theaclide, in Theatro, & ſimilibus; Doro, verò in Theodoro, in Metrodoro, in Doronico: vndè cū ſint plures ſpecies, quæ repreſentant conuenientiam horum nominum manifeſtum eſt, facilius excitari memoriam à conuenientia, quam à ſingulari ſpecie nominis familiariſsimi, & hoc non eſt cognoſcere conuenientiam, aut diſconuenientiam, qua ratione cognoſcit æſtimatiua, vt ex ſe conſtat.

Secun-

Secundo explicandum est, quid animam in illo formidinis, ac verecundiæ motu tantopere exterreat, memoriamque frangat, ac debilitet. Pro cuius rei intelligentia supponendum est, id quod supra diximus; animam nostram propter limitatam eius virtutem non posse plura simul perfectè cognoscere; vndè dicterium commune Philosophorum ortum est; pluribus intentus minor est ad singula sensus. Quando igitur anima magna attentione, & aduertentia concurrit cum aliqua potentia circa cognitionem alicuius obiecti distrahitur à cognitione aliorum obiectorum: non solùm per eandem potentiam, sed per diuersam; quod vulgari exemplo declaratur: nam dum quis actu vehementi alicuius sensus, siuè interioris, siuè exterioris versatur circa cognitionem alicuius obiecti, etiam si apertos habeat oculos, nō videt quæ procul ex opposito sunt: similiter non sentit sensu tactus causam doloris ille qui vulneratur in prælio.

Hoc fundamento supposito facile est explicare, qua ratione in timore, & verecundia confundatur anima, & consequenter obliuiscamur notissimarū rerum, quas firmiter animo impressas tenemus; nā timor, vt docuit Arist. 2. Rhetori. cap. 5. nihil aliud est quam tristitia ex imminenti malo orta. Ergo quoties quis magno timore afficitur, anima totam intellectus, aut sensus interioris aciem ad cognos-

cendam mali illius imminentis tempestatem intendit: vndè efficitur, vt distrahatur ab alijs rebus, etiã si species illarum intensæ sint, & informent potentias: distracta verò anima hac ratione turbatur, & confunditur; quia si ingenij vires exeramus, vt rei alicuius, quam memorię mandauimus reminiscamur, repente se obijciunt species illius mali quod timemus; & consequenter anima concursum suum illis pręstat; & sic modo vnum, modo alterum sine ordine cognoscimus, animusque turbatur, & memoriæ acies retunditur.

Eodem prorsus modo dicendum est de verecundia; nam verecundia, teste Arist. eodem lib. cap. 6. est tristitia de defectu aliquo proprio in conspectu alterius, qui iudicare potest defectus nostros. Igitur ille, qui verecundus est distrahitur propter vehementem cognitionem illius defectus, ratione cuius tristatur: quo fit, vt etiam ratione huius distractionis obliuiscatur. Eadem similiter est causa cur in reliquis animę pasionibus memoria labefactetur.

*

SEC-

SECTIO TERTIA.

Cur facilius eorum recordamur, quæ memoriæ mandauimus paruo quam maiori temporis spacio transacto.

CIrca hanc dubitationem varijs variæ rationes se se offerent fortaßis, quibus obiectę difficultatis laqueum poßint discindere. Aliqui enim opinantur huiusce rei euentum ex duplici capite esse attendẽdum. Primo, ex eo quod species illius rei, quam paulò antea cognouimus sunt intensiores; postea autem necessario paulatim remittuntur: cum remißiori autem specie difficilius excitatur memoria ad operandum.

Alij verò censent phantasma, quod paulò ante fuit principium producendi speciem in memoria, esse maioris efficatiæ, & vigoris, quam illud quod elapso maiori temporis spacio vna cum memoria operatur; ex efficatiori autem, & fortiori phantasmate, actum memoriæ promptiorem, & efficatiorem existere est necesse.

Nihil tamen ex his verisimile censendum arbitror: & quantum ad primum affirmari non potest productam speciem in memoria, paulatim tempore sequenti remitti; nam nullum est principium, à quo

quo talis ſpecies corrumpi, & remitti incipiat; neque enim à contrario, cum illo careat; neque defectu ſubiecti, aut conſeruantis, vt ſupra probauimus cap. 4.

Prӕtereà, ſi ſpecies tam breui temporis ſpacio inciperent remitti: ſequeretur neceſſario, quod breuiſſimo tempore corrumperentur ſpecies, quas ſeruat memoria, quia ſunt limitatæ intenſionis: & ſi modo remitti incipiunt, non eſt cur in tempore futuro nõ remittantur, vnde breuiſsimo tempore peribunt; quod apertè eſt falſum, nam ſenes etiam in extremo ſenectutis cardine recordantur multarum rerum quarum ſpecies in memoria impreſsit pueritia: quod fieri non poſſet ſi à prima pueritia tales ſpecies inciperent remitti.

Prӕterea intenſio ſpeciei, ſolum deſeruiet ad perfectiorem cognitionem obiecti; maior tamen promptitudo, & facilitas ad cognoſcendum tale obiectũ non ex intenſione ſpeciei, ſed ex alio capite petenda eſt.

Secundũ etiam porrò falſum eſt, quia non eſt ratio cur phantaſma in tempore præterito ſit maioris efficatiæ, & vigoris, quam in poſteriori: ſuppoſito, quod potentiæ omnes interiores conſeruant ſpecies, vt probatum eſt ſupra.

Rectius tamen ſentiet, qui huius rei cauſam ad habitum in memoria relictum, reducendam eſſe

dicet,

SECTIO QVARTA.

Cur quidam publice in conspectu multorum orationis conceptæ obliuiscantur, alij vero eodem in loco omnium fœlicissime recordantur.

QVæ de timore, ac verecundia, potissimis humanæ naturæ affectibus, à nobis dicta sunt, ad hunc nodum soluendum subsidio esse poterunt. Ij enim, qui in hominum cętu, ac frequentia turbati ingenio, & grauissimis repentinę obliuionis, velut fluctibus agitati memoriæ iacturam faciunt, timori, ac verecundię solent esse obnoxi. Sic docet Plutarchus, lib. de profetu morũ, multoties accidisse Demosteni, & Alcibiadi, qui cum natura sua essent admodum timidi, quoties in conspectu multorum grauem aliquam orationem dicturi erant, ob timorem turbati ingenio, & repentina obliuione correpti, memoriæ lęsionem patiebantur. Accedunt ad hoc plures aliæ causæ extrinsicæ, quæ mouent animam, & potentiam ad earum cognitionem, & sunt causa confusionis, nam alij hominum frequentia, & varietate, vel diuersitate loci distrahuntur, & turbantur, qua ratione Portio Latroni contigisse referunt Quintilianus, lib. 10. c. 5. & Seneca in pręfactione, lib. 5. cõtrouersiarum; qui

primus clari nominis professor fuit, & cum in Hispania pro rustico Portio reo propinquo suo diceret, vsque eo confusus fuit, vt à solœcismo inciperet, nec ante potuisse confirmari, tectum, ac parietes desiderantem, quàm impetrauit, vt iudicium ex foro in Basilicam transferretur. Vsque eo (inquit Seneca) ingenia in scholasticis exercitationibus delicata enutriuntur, vt clamorem, silentium, risum, cælum denique pati nesciant. Idem etiam crebro contionatoribus contingere experimur, vt ex motu aliquo locali facto à puero, aut à cane, aut alijs huiusmodi; vel ex vociferatione infantium, aut latratu, aut strepitu animalium, aut ex susurramine, & molesta locutione mulierum, distrahuntur, aut irascuntur, & flaua bile agitati turbantur. Vndè, fere semper eiusmodi rei causa reducenda est ad aliquã animæ passionem, aut iræ, aut gaudij, aut tristitiæ, aut verecundiæ, aut timoris.

Circa secundam partem dubitationis censendum est, id solùm contingere aliquibus hominibus temperatis, qui omnes animæ affectiones sub rationis iugo tenent; quos neque metus, neque verecundia, neque iræ impetus incautos, & imparatos solet rapere; & magna ingenij, ac memorię vi pollent tales cum in publico loco aliquid sunt recitaturi maiorem attentionem, & conatum ex parte animę adhibent, quã domi dum ea, quæ dicturi erant reuoluerent.

 rent.

rent. Etenim à natura comparatum eſt, vt docet Mercurialis. 1. aphoriſ. com. 1. vt animi validi rebusque magnis deſtinati, quo magis in rebus arduis implicantur eo fortius, atq; vehemẽtius agant; contra qui imbecilles, & frigidi ſunt, difficilibus rebus minimè ſe ſe immiſceãt: ex quo fit vt melius, & ordinatius eorum recordentur in publico, quam intra priuatos parietes.

SECTIO QVINTA.

Cur poſt prandium, aut cœnam difficulter recordemur quouſque bene digeſtum ſit alimentum.

QVOD pulcherrimo illi ſideri cuius radijs omnes vbique terrarum regiones longe, lateque colluſtrantur, ſolet accidere; vt denſis nubicularum orientium vaporibus circunfuſus, luminis ſui vim exerere nequeat, id in præſtantiſsima facultate, memoria inquam, a craſsis prã diorum, ac cœnarum fumis, & humoribus ſepulta eſt fatendum: finita verò concoctione alimenti, con ſumptis iam dictis vaporibus aptum eſſe tempus, & contemplationi, & memoriæ.

Difficultatem autem continet explicare, qua ratione vapores contenti intra cerebrum ſint impedimento optimæ intellectioni, & memoriæ.

Poſſet

Poſſet aliquis imaginari cum Fracaſtoreo, lib. de intellectione, ſicut ad rectam ordinatamque viſionem requiritur, vt medium per quod tranſmittuntur ſpecies ſit purum, quietum, & non turbatum, aut in ordinate motum; ſic etiam idem ad optimam memoriam requiri. Dum autem coquitur alimentum, quia cerebrũ craſsis turbidisque vaporibus, & ſpiritibus animalibus mixtis offuſcatur, neque ingenium, neque memoria rectè munus ſuum exequi poſſunt.

Hęc tamen ſententia licet à veritate non ſit aliena, non tamen explicat quid potiſsimum vapores illi in ſpiritibus, aut organo memorię gignant, ratione cuius non bene operetur; quando neque ſpecies corrumpunt exiſtentes in organo; neque illas, quę ſunt in ſpiritibus; cum tranſacta coctione, & digeſtione, bene, & ordinate recordemur.

Ego quidem exiſtimo huius rei cauſam exiſtere, quia dum cerebrum craſsis vaporibus obruitur, eius cauitates obſtruũtur, & ſpiritus animales quaſi ſuffocantur: impediturque tranſitus illorum ad penetralia cerebri: & inde organum memoriæ (quod de organo aliorum ſenſuum internorum etiam eſt aſſerendum) etiam ſi ſpecies in ſe conſeruet; haud ſatis aptè inſtructum eſt, ac comparatum, vt memoria partes ſuas peragat. Id vel ex hoc clarè intelligi poteſt, etenim, creſcente flatu cerebrique cauitates

tates obſtruente,fit affectus aliquis ſomnolentis,in quo,aut aboletur, aut minuitur memoria, & huius rei cauſam omnis Medicorum conſenſus obſtructioni,& ſpirituum ſuffocationi tribuit.

Accedit etiam,poſt prandium, aut cœnam prouidam naturam magnam ſpirituum quantitatem ad ventriculum mittere,vt fœliciter peragatur cōcoctio: & ſic cerebrum ſpirituum copia orbatum languet, quorum defectu non eſt bene diſpoſitum organum memoriæ ad operandum.

Addo cum Galeno.3.de locis affectis,cap.7.ſpiritus animales lucem, & ſplendorem amittere ex admixtione craſſorum vaporum, quod non parui ponderis reputatur ad memoriæ,& aliorum ſenſuū internorum læſionem.

SECTIO SEXTA.

Cur aliquando exquiſita, quædam quorum obliti eramus memoriæ occurrant.

Diuus Auguſtinus,lib.10.confeſsionum,c.8. laudans latiſsima memoriæ prætoria inter alia ipſius munera, quædam eſſe ait, quæ in memoria cateruatim ſe prorreuūt; vt dum aliud petitur,& queritur proſiliunt in medium quaſi dicentia, an forte nos ſumus? & abigo ea manu cordis à

facie

facie recordationis meę, donec enubiletur illud, quod volo, atque in conspectum prodeat ex abditis. Hanc dubitationem mouet Fracastoreus, lib. supra citato, & paucis eam soluit dicens: Huiusce rei causam esse similitudinem quampiam, quæ latet, & casu tunc occurrit: quę autem sit latens hæc similitudo, talem memoriam excitans, docet esse difficile iudicatu; vt multa alia, quæ animæ obuersantur, vt patet de insomnijs, & ęgritudinibus.

Miror sanè virum tanta ingenij solertia, tátaque eruditione præditum occultam, ac latentem causam huius rei asignasse; vbi manifesta se se offert: Nam illius rei antiquę cuius obliti eramus, adhuc manet, & perseuerat species in memoria impressa; aliàs fieri non posset, vt illius recordaremur; iuxta Platonis placitum in Theæteto, lib. 13. [Meminimus quoad figura permanet in memoria.] Et D. August. loco citato: [Cum recordor alicuius rei veniunt imagines ex thesauro memoriæ, neque omnino aliquid eorum dicerem si defuissent.] Quando igitur hęc species excitat memoriam, quę antea per longum tempus sopita fuerat, necessario prę cedit cognitio, & sensatio alicuius obiecti; cum quo similitudinem manifestam, aut proportionem, & dependentiam habet; modo quo supra explicaui dubio primo huius capitis.

SECTIO SEPTIMA.

Cur rustici, & alij infimæ sortis homines iter facientes viarum melius recordantur, quam præstanti dignitate homines etiamsi optima memoria præditi sint.

IN illo dignitatis, ac gloriæ discrimine par tamen nobilis, atque obscuri hominis supponenda est memoria: aliàs enim si rusticus maiori huius potentiæ acumine, vique sit præditus sublata est omnis dubitatio.


Dico ergo, rusticos quibus, aut exiguum, aut nullum sæpè ratiocinationis lumen affulget, brutis; quam hominibus similiores; magnopere tamen locorũ memoria pollere: verum & inter ipsa quoque animalia multa sunt, quæ melius recordantur viarum, & locorum quam homines in qua re admirabilis, elefantuum, equorum, suum, asinorum, & canuum industria elucet. Ratio verò vtriusque est, quoniam bruta, & bruto ingenio homines, firmius animo impressas seruant species obiectorum, quæ sensu visus perceperũt, quam quæ alijs sensibus externis: plus enim, & distinctius illis visus nempe loca, & figuras, motusque ostendit; & cum huiusmodi animalia sensuum internorum cognitionibus mi-

 nimè

nimè distrahantur, eo quod, & exiguas obiectorum species seruant, & imperfecto modo obiecta cognoscunt, solùm recordantur illorum, quæ visu cognouerunt; & sic firmam locorum, & diuerticulorũ memoriam habent. Homines verò solerti ingenio, magnaque prudentia, aut negotiorum vndis iactati, aut politiarum litterarum, artiumque studijs immersi, aut contemplatione maiorum rerum occupati; etiam si vias prospectent, domos, diuerticula, & plura alia, quæ iter agentibus eis se offerunt, neque seruant illarum species, neque etiam si seruent firmiter recordantur propter inaduertentiam, & distractionem.

Accedit ad hęc, quod ingenui homines in itineribus plerumque famulorum obsequio vtuntur, quorum curæ, ac prudentiæ omnem viæ rationem, ac modum solent committere; ipsi verò grauioribus rebus, ac commentationibus distracti, animum his intentum à viarum anfractibus indagandis abducunt.

✠



CAP.

CAPVT IX.

De reminiſcentia.

SECTIO PRIMA.

Sit ne reminiſcentia actus memoriæ ſenſitiuæ, an alterius potentiæ.



ARVM rerum, quæ aliquo retro tempore effluxerunt ſolicitam indagationem communi nomine reminiſcentiam indigitant Philoſophi: vt conſtat ex Ariſt. lib. de memor. & reminiſcen. c. 3. ex D. Thoma. 1. par. q. 78. art. 4. quoties enim alicuius rei obliuiſcimur, cuius ſpeciem in memoria impreſſam ſeruauimus, & poſtea meditatione, diſcurſus ſubſidio, aut à ſimili, aut à contrario, aut à propinquo, aut remoto (vt docet Ariſt.) illius recordamur, eiuſmodi actum reminiſcentiam appellamus. Vnde D. Ant. Floren. par. 4. tit. 2. cap. 2. [Reminiſcimur quaſi naturali quodam ordine ab vno in aliud procedendo.] Et Themiſt. lib. 2. ſuę paraphraſis. [Reminiſcentia eſt recordationis

tionis reductio.] Id eſt quaſi recordationis recordatio, ſeu via ad memoriam, vt docuit D. Thom. in lib. de memor. & reminiſc. ſimplex verò recordatio præteriti memoria nuncupatur.

Sit ne reminiſcentia actus memoriæ ſenſitiuæ, an alterius potentiæ, citra difficultatem explicari minimè poteſt. Ipſe enim Philoſophorum Princeps, lib. de memor. & reminiſc. cap. 1. expreſſæ docet reminiſcentiam eſſe diſtinctam à memoria, his verbis: [Non enim idem ſunt memoratiui, & reminiſcitiui, ſed frequenter magis memoratiui quidem, qui tardi, magis reminiſcitiui, qui veloces, & dociles ſunt.] Idem docet Plutarchus in Catone. Præterea S. Thom. opuſculo 45. docet reminiſcentiam eſſe ipſam cogitatiuam hominis, cuius eſt diſcurrere in peculiaribus intentionibus, & lib. de memoria & reminiſc. [Memorari nihil aliud eſt, quam benè conſeruare ſemel accepta, ſed reminiſci eſt quædã reinuentio prius acceptorum non ſeruatorum, & ideo illi qui celeritate ingenij valent, facilius reminiſci queunt, quia videlicet in diſcurrendo expeditiores sũt.] Et reddẽs huius rei cauſam dicit, quod diuerſæ habitudines ad animæ operationes, ex diuerſa proueniunt corporis diſpoſitione. Et Auicena. 6. naturalium, cap. 3. & Albertus tract. 4. c. 7. quos citat Aquarius. 3. lib. de anima, quæſt. 3. agentes de numero ſenſuum internorum reminiſcẽtiam

vltimo

vltimo loco constituunt; vt facultatem distinctam à memoria,& à reliquis sensibus interioribus.

Et ratione probatur; quia potentiæ distinguntur per actus adæquatos, vt docent Philosophi cum Arist.2.lib.de anima,tx.33.sed memoria,& potentia,quæ reminiscentia appellatur, habent actus adæquatos diuersos, atque adeò manifestè implicat actum reminiscentiæ fieri à potentia memoratiua; sunt igitur potentiæ diuersæ. Probatur minor, nam in ratione formali actus reminiscentiæ continetur discursus; implicat autem memoriam sensitiuam discurrere, quia hoc munus proprium est intellectus, Ergo actus reminiscentiæ necessario procedit ex potentia realiter, & essentialiter distincta à memoria.

Prætereà, memoria existere valet absque reminiscentia, vt patet in brutis, quibus etiam si concessa sit à natura memoria reminiscentia tamen carent, vt docent Arist. Auicena, & D. Thom. locis supra citatis; immò verò inter ipsos homines potest esse memoria sine reminiscentia, & ècontra, vt diximus ex Aristotele sunt igitur distinctæ potentiæ.



SEC-

SECTIO SECVNDA.

Verior ſententia.

NIhilominus tamen verior eſt ſententia, quæ aſſerit, reminiſcentiam non eſſe potentiam diſtinctam à memoria, ſic tenet maior pars Philoſophorũ. D. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. Caietanus, ibidẽ. Fonſeca. 5. methaphiſicę. c. 28. Conimbricẽſes. 3. li. de anima. q. 1. ar. 3. Toletus. 3. li. de anima, Galenus lib. de differentijs ſymptomatũ, c. 3. Valleſius. 2. controuerſiarum. 22. & 23. ij omnes alijque quam plurimi, cũ ex antiquis, tum è recentioribus agentes de numero ſenſuum internorum memoriã, & reminiſcentiam pro eadem potentia vſurpant.

Ratione tamen probatur, quia actus memoriæ, & reminiſcentiæ, reſpiciunt idem obiectum formale nimirum, id quod præteritum eſt ſub ratione præteriti. Ergo ſunt actus ad eandem potentiam ſpectantes: conſecutio nihil dubitationis habet, & antecedens probatur, quia indagatio, diſcurſus, & alia omnia, quę in reminiſcentia reperiuntur, ordinantur ad cognitionem obiecti præteriti (aliàs non erit reminiſcentia.) Ergo actus qui dicitur reminiſcentia reſpicit idem obiectum formale, quod actus memoriæ; pertinet ergo ad eandem potentiam.

SEC-

SECTIO TERTIA.

An in memoria sensitiua hominis iudicium, ac discursus reperiantur.

VT omnia, quę in reminiscentia considerantur oculis subiecta maneant, inquirendum est an in memoria sensitiua hominis iudiciũ, & discursus reperiantur, & consequenter omnia, quæ necessaria sunt ad veram reminiscentiam, an verò totum hoc ab intellectu factum supponatur, & memoria solùm cognoscit, id quod pręteritum est occasionaliter, accepto scilicet ab intellectu motus principio. D. Thom. 1. par. quæst. 78. art. 4. & 5. & 2. 2. quæst. 47. artic. 3. & ibidem Caietanus, & cum eis interpretes aliquot Arist. 2. lib. posteriorũ, cap. vlt. & in prologo methaphisicæ, asserunt in memoria sensitiua hominis propter intellectus viciniã verum, ac proprium iudicium, & discursum circa singularia sensibilia reperiri; iuxta quam sentẽtiam memoria non indiget discursu facto ab intellectu, vt reminiscatur; sed ipsa per se potest indagare, & discurrere circa particularia, vt ex his oblitę rei recordetur.

Hęc tamen sententia, si de vero, & formali iudicio, & discursu intelligatur, absque dubio est falsa

nam

nam intellectui ſoli propter ſuam perfectionem datum eſt à Deo propriè, & formaliter iudicare, & diſcurrere, vt conſtat ex eodem Diu. Thoma. 1. 2. quæſt. 1. artic. 1. & 2. & quæſt. 13. artic. 1. & 2. & Toleto. 3. lib. animę, cap. 3. quæſt. 3. concluſione 2. quos ſequuntur omnes recentiores. Et probatur ratione; quia ſi memoria hominis per propinquitatem, & coniunctionem cum intellectu proprium, & formale iudicium, ſimul cum diſcurſu obtineret, ſequeretur poſſe cognoſcere proportionem inter ſubiectum, & prædicatum; & iuxta eam vnum alteri tribuere, vel negare de illo: in hoc autem iudicio reperitur neceſſario veritas, aut falſitas, quod eſt expreſſe contra Ariſt. 6. methaphiſicæ, tx. vltimo, & 1. de interpretatione, cap. 1. & poſſet memoria cognoſcere proportionem inter duas compoſitiones, vel affirmationes, vel compoſitionem, & diuiſionem, ſeu affirmationem, & negationem: & componere vnam cum altera, & ſilogizare, & ratiocinari: & conſequenter haberet homo vſum rationis ſecundum partem ſenſitiuam, & arbitrij libertatem: virtutiſque, ac peccati, & meriti capacitatem: quæ à ratione aliena ſunt.

Prçterea, formale iudicium, ac diſcurſus præſupponunt, non ſolùm cognitionem extremorum, ſed proportionis eorum formalem vnius cum altero collationem: proportio verò, aut eſt relatio inter

extre-

extrema, aut neceſſario eam importat: quomodocunque ſit non eſt ſenſibilis, neque eam poteſt cognoſcere niſi intellectus.

Sed vt clarè omnibus innoteſcat, quo in ſenſu D. Thom. & reliqui diſcurſum memoriæ ſenſitiuæ largiantur, notandum eſt, iudicium tribus modis accipi ab authoribus. Primo modo, latiſsimè pro quacunque cognitione ſimplici alicuius rei: nam eo ipſo, quod aliqua potentia percipit obiectum, vt ſibi repreſentatum per ſpeciem; dicitur aliquomodo iudicium ferre de illo. Secundo, propriſsimè accipitur iudicium pro cognitione extremorum, & collatione vnius cum altero, qua cognita affirmat, vel negat vnum eſſe aliud, & hoc iudicium formaliter, veritatem, aut falſitatem complectitur, duos hoſce iudicij modos adducit D. Auguſt. 8. de ciuit. Dei, cap. 7. & lib. 11. cap. 27. Galenus lib. 5. de placitis, Hipp. & Plato. c. 7.

His autem duabus acceptionibus addi poteſt alia tertia, quaſi media inter vtranque, quæ latius patet quam prima, & non attingit ſecundæ perfectionem: vt non ſolùm ſit cognitio rei ſimplicis duntaxat; ſed duarum, cognoſcendo vtriuſque naturam, & vnam non eſſe alteram: non tamen cognoſcendo proportionem inter eas, aut improportionẽ; neque conferendo vnam cum altera, neque affirmando, aut negando quod vna ſit altera: vt quando viſus

viſus cognoſcit albedinem, & nigredinem, diſcernitque inter vtranque, & conſequenter aliquo modo iudicat.

His ſuppoſitis, hac tertia acceptione concedendum eſt memoriȩ ſenſitiuæ iudicium, & diſcurſus; materialiter ſcilicet per quandam actuum, & apprehenſionum ſucceſsionem ab vna in alteram deueniendo; quia licet reminiſcentia paſsio corporalis exiſtat, vt docuit Ariſt. lib. de memoria, circa finē, verum quia in homine perfectiori modo ſenſus interiores operantur, quam in brutis, ſi quidem eorū inſtrumenta, & cætera omnia ad operationem exercendam neceſſaria, perfectius inſtructa ſunt; & potentiȩ ipſæ à nobiliori principio originem trahunt, nimirū ab anima rationali, ideo in homine collatio hæc, & ſucceſsio apprehenſionum perfectiori modo fit; & clarius iudicij, ac diſcurſus ſpecimen præbet, propter quam cauſam. D. Thom. locis ſupra citatis, memoriæ ſenſitiuæ, & alijs ſenſibus interioribus hominis iudicium, & diſcurſum concedit, ex propinquitate ad intellectum, & conſequenter, etiā reminiſcentiam, quam brutis animantibus cū Ariſt. & Auicena denegauit.

Notandum tamen eſt, quod licet ad reminiſcentiam formali illo iudicio, ac diſcurſu minimè ſit opus; ſed ſufficiat imperfectum, & materiale, vt probatum eſt; frequenter tamen quoties alicuius rei

difficulter reminiſcimur, ex diſcurſu, & iudicio materiali memoriæ ſenſitiuæ reſultat in intellectu verus, & formalis diſcurſus, & iudiciũ, & occaſionaliter ex ipſis variȩ ſpecies excitantur in memoria, quo vſque illius rei, quam quȩrimus ſe ſe offerat ſpecies memoriæ.

SECTIO QVARTA.

Argumenta ad probandum bruta verum iudicium, & diſcurſum habere.

PLura ſunt, quȩ difficilem reddunt ſupra poſitam ſententiam. Primo, quia Prouerbiorum, cap. 6. Brutis conceditur ſapiẽtia, his verbis: [Vade ad formicam opiger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.] Vbi autem eſt ſapientia, eſt etiam, & verum iudicium; ergo bruta, ſi habent ſapientiam, & iudicium; non erit idem negandum parti ſenſitiuæ hominis.

Præterea, Ariſtot. 1. lib. methaphiſ. cap. 1. etiam apibus prudentiam concedit; & lib. 6. moralium, cap. 7. [Beſtiæ nonnullæ prudentes eſſe dicuntur, quȩcunque in vita traducenda prouidendi habere vim quandam videntur.] Et 9. lib. de hiſt. animal. cap. 5. Ceruȩ prudentiam maximè laudat. Et Plinius. 8. lib. hiſt. animal. cap. 1. Elephãtibus pruden-

tiam

tiam,docilitatem,obedientiam,& officiorum, quæ didiſcere memoriam concedit.

Reſpõdetur,formicas,apes, & eiuſmodi alia animalia,nullam verè, ac propriè habere, aut ſapientiã,aut prudẽtiã,aut etiã iudiciũ,ſed ſolã pra potentis Dei ſapientiã,& prudẽtiã,ſolerti illo modo operandi,nobis oſtendere: qui eiuſmodi animantibus dedit propenſionem naturalem appetitus ad bona ſenſibilia determinata, & naturæ ſuæ conſentanea; & ſenſus externos,atque internos,qui per proprias & naturales operationes eadem bona ſenſibilia eidem appetitui proponerent: & per huiuſmodi propoſitionem ordinatiſsime mouerẽtur in ſuos fines; & non quidem per diſcurſum,aut iudicium,ſed per inſtinctum naturæ ordinatæ, & directæ in finem ab authore naturæ cognitum; & per media ab eodem ſagaciſsimæ inſtituta.

SECTIO QVINTA.

Solutio argumentorum primæ ſectionis.

EX his, quæ ſupra dicta ſunt, haud difficile erit obiecta diſſoluere, & primo quidem ad ea quæ ab Ariſt. allata ſunt. Reſpondetur, eũ nihil aliud velle, quã reminiſcẽdi actũ diſtinctũ eſſe ab actu memorãdi,tũ propter diſcurſum,qui requiritur ad reminiſcentiã, tũ propter alias cõditiones, quas adducit cap.2.& 3.


Quod autem illi qui dociles sunt, & ingeniosi, polleant reminiscentia; tardi verò memoria, id est in causa; quia ingeniosi, ac dociles perfectioribus sensibus interioribus præditi sunt,&ob hāc causam eorum subsidio,ac memoriæ sensitiuæ adminiculo, perfectius iudicant,ac discurrunt; suntque maioris reminiscētię vi prędit:cōtra verò tardi propter duritiem, & siccitatem cerebri diutius retinēt species in memoria;& sunt magis memoratiui: quia autem parum discurrunt non pollent reminiscentia.

Ad authoritatem D.Thom.respondetur,confundi ab illo reminiscentiam cum cogitatiua propter similitudinem, quam habent in modo operandi; enim verò tamen reminiscentia formaliter circa prçteriti temporis res versatur, quod cogitatiuę hominis nulla ratione potest conuenire.

Ad secundam authoritatem: iam probauimus ex eodem S.Thom. qua ratione memoriæ concedenda sit vis discursiua.

Ad rationem respondetur,memoriam,& reminiscentiam respicere idem obiectum formale,vt supra diximus;discursus verò, & indagatio non includuntur in ratione formali reminiscentię,sed solum supponuntur,vt conditiones necessarię ad hoc, vt memoria habeat principium motus circa illam rem, cuius oblita erat.

LIBER



LIBER SECVNDVS.

DE LÆSIONE MEMORIAE, ET HVIVS LAESIONIS CAVSIS.

CAPVT I.

Quibus modis actio memoriæ lædi posse.

SECTIO PRIMA.

De ablata læsione memoriæ.

MEMORIAM, haud minus, quam reliquas animæ facultates, multis iniurijs, ac periculis obnoxiam esse, lædique posse, docuit Galenus, lib. de differẽtijs symptomatum. c. 3. his verbis: [Quod autem, & circa memoratricem

animæ partem symptomata eueniant non ægrotantibus modo, sed his etiam, qui ęgrotare desierunt, id didicisse ex Thucydide licet, qui nonnullos, qui à magna illa Athenis peste conualuissent, eatenus omnium, quæ præcessissent oblitos prodit, vt non solum propinquos, sed etiam se ipsos ignorarent.] Et Seneca rethor, in quadam controuersia de memoria inquit: [Neque enim aliud in homine magis delicatum, & fragile in quam primum senectus incurrit.] Petrarcha etiam: [Sicut nulla potentia copiosior, aut ditior est animi suppellex, sic nulla fragilior, nulla fugatior, hinc est quod prima omnium senescit.] Cuius rei non solum Seneca testis existit in procemio declamationum, vbi de memorię suæ debilitate inde flexu ętatis conqueritur: & Iansenius, vt referunt Conimbricenses in senectute omnium litterarum oblitus fuit, sed ipsa experientia attestatur, quot casibus, morbis, ac iniurijs exposita sit; inde lex Peregre, & ibi Paulus. ff. de adquirenda possessione: [Memoria hominum labilis est.]

Sed cum actiones cuiuscunque facultatis animalis tribus modis lędi possint, vt eodem capite probat Galenus, ablate scilicet, diminute, aut deprabate; dubium præsentis capitis est, an omnibus his modis memoria labefactari possit: & quia sine controuersia medici omnes fatentur memoriam ablate, & diminute lædi posse; explicandum est tantum quibus modis hoc contingat. Quan-

Quantum ad actionem ablatam duobus potissimum modis memoria cõuelli, ac debilitari poteſt, vel corruptis prorſus imaginibus, quas in ſe conſeruat, vel in corruptis manentibus ſpeciebus, impedita tantum potentia ex praua aliqua cerebri diſpoſitione, vt infra dicemus. Primo modo, homines ita detenti fatui, amentes, omniumque expertes eſſent, infantium ad inſtar quorum animis, velut tabulis raſis nouę diſciplinæ imprimendæ ſunt: quemadmodum iubeni cuidam litterarum alumno accidit, cuius meminit Iordanus tractatu 2. cap. 2. de peſte, qui noctu ab errans caſu incidit in ſicarios, & accepto vulnere in oculo, poſtquam ſanitati fuit reſtitutus, ſolicita Medicorum diligentia, & induſtria, qui in artibus liberalibus ipſaque medicina, non vulgares fecerat progreſſus, tanta obliuione obrutus eſt, vt omnia quæ antea norat, didiſceratque memoria exciderent, & veluti letheæ vndę aſperſu omnia obliterarentur, vſque adeò, vt infantis inſtar Lutetiam regredi, & prima litterarum elementa denuo perdiſcere coactus fuerit. Et Simoni Thuruari Anglo, qui cum eſſet dialecticus acutiſsimus, & artium liberalium Pariſijs profeſſor magni nominis, plenior ſcientia, quæ inflat, quam caritate, quæ ædificat: temere in ſcholis, & palam non veritus eſt iactitare, ſe ſcire totam Chriſti legem, ac improbando eam poſſe annihilare; ſed ita ſubita obli-

uione percussus fuit, vt plurimarum litterarũ oblitus, nec Dominicam orationem pronuntiare, nec Alphabetum legere sciret, & à proprio filio Alphabetum perdiscebat. Teste Matthæo Parisio, lib. 7. in historia Anglorum. Hæc verò læsio memoriæ, vt patet incurabilis est.

Secundo modo, ex morbo sæpè numero contingit in integrum memoriam aboleri, incorruptis tamen rerum imaginibus, quas in se conseruat, & hoc quidem modo affecti breui temporis spacio curantur, atque in pristinum valetudinis gradum, roburque vindicantur, vt Monacho cuidam è familia D. Francisci contingit cuius meminit Christophorus de Vega, lib. 3. methodi, cap. 10. qui soluta febre acuta, sine memoria subito factus est, cum aliàs esset peritus Theologus, ita vt neque litteras cognosceret, neque nomina rerum, quę sibi asiduæ in vsu erant, memoria teneret, & post quatuor menses curatus, mira quadam celeritate, in pristinam suam eruditionem fuit reductus.

Idem accedit Antonio cuidam Senensi, vt refert Beniuenius, lib. de abditis, cap. 47. qui ex pręterito morbo conualescens, ita prorsus oblitus est omniũ illarum, quæ memoria fixa tenuerat, vt nec rerum quidem nomina reminisceretur, nec amicos ab inimicis discernebat, & cum viginti dies hoc malo angeretur, fluxu alui variegato correptus, mẽtis simul & memoria redidere.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

De diminuta læſione memoriæ.

DIminutę etiam alijs duobus modis ſimilibus lædi poteſt memoria, aut remiſsis, & ſecundum partem corruptis ſpeciebus, aut etiam ſi nullam remiſsionem patiantur, impedita aliquo modo potentia, & organo.

Primo modo, communiter lædi ſolet memoria ſenibus, & his quibus paulatim cerebrum infrigedatur, & obtorpeſcit. Sic Seneca ſupra citatus, poſt quam excellentem memoriam, qua in iubentute pollebat commēdauit, in deflexu ætatis, ac ſenectute remiſſam conquæritur, hiſce verbis: [Nūc autem ætate quaſſata, & longa deſidia, quę iubenilem quoque animum diſſoluit, eo perducta eſt memoria, vt etiam ſi poſsit aliquid præſtare, tamen promittere non poſsit.] Et Franciſcus Barbarus Hermolai amicus Græcarum litterarum, quarum prius erat doctiſsimus, in extrema ſenecta multum oblitum fuiſſe refert Landus, lib.1. humanæ hiſtoriæ, & Georgius Trapezuntius, in extrema ſenectute omnium litterarum memoriā fere perdidit, vt narrat Rauiſius. Hæc autem læſio eſt etiam incurabilis, vt altera quam aſsignaui.

Secundo modo, morbi grauitate minui potest memoria, & ita laborantes, sublato organi impedimento, medicamentorum vi curari possunt; sic contingit homini, cuius meminit Galenus. 3. de locis affectis, cap. 3. qui ob laborem perpetuasque in studijs vigilias, memoria fere orbatus, curatus fuit auxilijs madefacientibus, & calorificis.

SECTIO TERTIA.

An deprauatæ lædatur memoria.

PRæcipuum, quod in hoc capite controuertitur est, an memoria deprauatæ labefactari posit, & ratio dubitandi est, quia memoria delirium pati non potest. Ergo neque deprauari, probatur antecedens, nam delirantes immemores sunt, ita vt obliuiscantur cibi, quem in manu, ad vescendum acceperunt, immò verò obliuiscuntur respirationis, quia tarde, & raro respirant; vt docuit Hipp. 1. prognosticorum. Hæc autem omnia imminutam, non verò deprauatam arguunt memoriam.

Præterea, Galenus lib. de different. symptomat. cap. 3. definiens delirium, docet esse actionem deprauatam facultatis imaginatiuæ, aut æstimatiuæ, vel vtriusque simul, & nullam fecit mentionem memoriæ, immò sermonem instituens de læsione memoriæ,

moriæ,ablatam duntaxat illius actionem numerat, &3.de locis.afect.ablatæ,aut diminutę actionis me moriæ fecit mentionem,non tamen deprauatæ.

Proprior tamen veritati sententia videtur, memoriam pati posse deprauationem,& consequenter eandem delirij incommodis esse expositam, eam tenet Arist.lib.de memor.& remin.cap.3. his verbis: [Rursus frequenter vsu euenit,vt cum rei præteritæ nos subit recordatio, dubij ancipitesque simus, an rei ita factę memoremur, an alia occasione nos sentire contingat.] Diu.Thom. in commentario, duos modos quibus memoriam falli contingit colligit ex eiusdem capitis verbis. Auicena etiam,fen. 1.lib.3.tract.1.cap.6.[Accidit memorię,vt remoretur eius,quod nunquam ei adest, & significat cõplexionem calidam.] Eandem sententiam tenet Vallesius.3.de locis affectis, cap.3. Et probat hac efficaci ratione,nam si quis species quas memoria conceperat,nunquam amisit,sed confundat, ita vt quæ Petri sunt,Paulo verbi gratia, quæ Pauli, Petro tribuat;recordatur sane rerum omnium habens cognitionem circa pręteritum,vt sic,ordine tamen in verso. Ergo error aliquis in memoria accidere potest.

Idem,& eius modi ratione stabiliri potest,etenim si memoria est potentia actiua, & cognoscitiua, vt supra probatum est, nulla est ratio, quæ conuincat

actiones

actiones aliarum facultatum posse deprauari memoriæ verò minimè.

Ad rationes dubitandi respondetur ad primam, negandum esse, memoriam nõ posse pati delirium, contrarium enim constat in exemplo adducto à Vallesio.

Ad illud autem, quod dicitur delirantes esse immemores, respondetur, licet aliquando id contingat, quando simul cum imaginatione, aut ratione memoria læditur, hoc tamen non esse perpetuum, quoniam experimento constat in multis phreniticis, aut melancholicis non esse obliuionem; sic docuit Galenus lib. de different. sympto. cap. 3. exemplo illius phrenitici, qui vasa vitrea per fenestram eijciebat, & rectissimæ ea omnia nominabat, in quo sane (inquit Galenus) manifestè ostendebat, neque imaginatiuam, neque memoriam detrimenti quidpiam esse passam, sed æstimatiuam duntaxat, quæ etiam ratio nuncupatur.

Ad authoritates Galeni respondetur, verum esse nullibi, quod mihi quidem videre contingit, factam ab eo mentionem actionis deprauatæ memoriæ, neque tamen ex hoc infertur minimè posse deprauari, est enim argumentum ab authoritate negatiua, vt vocant Philosophi, quod roboris, ac momenti nihil habet.

Præ-

Præterea, Galenus definiens delirium asserit esse actionem deprauatam imaginatiuæ, aut æstimatiuæ, quia in delirantibus prius læduntur istæ duæ facultates, quam memoria, vt infra à nobis probabitur.

SECTIO QVARTA.

Possit ne aucte lædi memoria.

DVbium est commune memoriæ, & alijs omnibus facultatibus sensitiuis, an scilicet aucte lædi possint, ita vt propter magnam actionis intensionem dicamus memoriam, aut aliam facultatem sensitiuam, læsam esse, & in statu preternaturali: & ratio dubitandi est, quia intensio illa est à principio intrinseco vitali, & vitaliter operante; ergo est consentanea naturę, & non symptomatica; probatur antecedens, nam talis intensio fit ab anima media eius potentia.

Secundo, hæc actio est perfectiua secundum quãlibet intensionem. Ergo secundum nullam est contra naturam.

Dicendum tamen est, auctam actionem memoriæ, non solùm secundum extensionem, id est, quando durat plusquam pro natura, sed etiam secũdum intensionem, posse esse symptomaticam, & contra natu-

naturam, quod quidem eiusmodi argumento confirmari potest; à principio enim interno male affecto aduersæ valetudinis, aut morbi vitio, eliciuntur actiones erroneæ symptomaticæ, & contra naturã, non tamen ratione principi vitalis, sed ęgritudinis, ergo eadem ratione cuiusvis actionis incrementum, quod ob morbum fit, solummodo erit symptomaticum, & contra naturam, sed persæpè augescit memoria ratione morbi. Ergo tale augmẽtum erit morbidum, & contra naturam; probatur minor. Primo, experientia in hecticis, in quibus viget memoria ratione febris hecticæ.

Tùm etiam, quia quotiescunquę calida, & sicca passione morbida afficitur cerebrum, idoneum est huiusmodi temperamentum ad intendendam actionem memoriæ. Ergo tunc talis intensio erit contra naturam.

Confirmatur; quoniam augmentum, & magnitudo pulsus in febribus, etiam si sit à facultate vitali, quia tamen est ratione febris est contra naturam, & symptomatica, & idem affirmari potest de actione facultatis nutritiuæ, quando accrescit caro, præter naturæ ordinem morbumque conciliat, quia tunc actio illa, etiam si à principio vitali proueniat vitaliter operante, est cõtra naturam, quia caro perperam affecta est, & ob hanc causam producitur talis morbus; certum ergo, est auctam actionem cuiuscunque

cunque facultatis, posse esse symptomaticam.

Sed notare oportet cum Vallesio. 4. lib. controuersiarum, cap. 4. vt sit vere aliqua actio symptomatica, eam ex nimia naturæ irritatione, aut virtutis contrariæ corruptione fieri necessum esse; nam id quod præcise fit ex vi alicuius facultatis nunquam est nimium.

Ex dictis facile solui potest, id quod in principio obiectum erat.

Ad secundum respondetur, licet intensio illa sit gradus actionis perfectiuæ, esse tamen contra naturam, & symptomaticam, ratione prauæ dispositionis, qua afficitur talis potentiæ organum.

Sed dices, qua ratione aucta actio est contra naturam, & symptomatica; si tribus duntaxat modis fieri possunt actiones symptomaticæ, vt docet Galenus, lib. de differentijs sympt. cap. 3. ablate scilicet, diminutè, aut deprauatè.

Respondetur, auctam actionem reduci ad deprauatam, quia est actio vitiosa, ex aliquo positiuo cõiuncto principio agendi; nam per hoc constituitur actio deprauata, ita vt ratione illius positiui, aut immutetur actio, aut terminus actionis, vt latè probant Medici, lib. de differentijs symptomatum.

CAP.

CAPVT II.

Quibus intemperantijs agitata lædatur memoria.

RAſsim celebratiſsimum eſt apud Medicos vniuerſos,& præcipuè apud Galenum (vt docet Valleſius.3.de locis affectis,cap.3.)omnem intemperiem deiicere actum cuiuſcunque virtutis, nam ſiuè facultates idem ſint, quod temperamentum, ſiuè quid diſtinctum (de quo modo nulla eſt diſceptatio)neceſſario corrupto ac peſſundato, cuiuſcunque qualitatis redundantia temperamento,partis, facultates, etiam corrumpi eſt neceſſe,ſiuè quoad ſuam ſubſtantiam, ſiuè quoad actum : ſecundum hanc ſententiam neceſſario concedendum eſt, memoriam abſolutæ, ab omni intemperie lædi poſſe, licet præcipuè, ac frequentiſsimè ab vna,aut altera lædatur.

SECTIO PRIMA.

Quæ sit naturalis cerebri temperies ad optimam memoriam.

VT clarius intelligere posſimus, quibus qualitatibus intemperatis facilius, & frequentius memoria pessundari soleat, quibus verò tardius, & difficilius; supponendum est genuinam cerebri temperaturam solerti memoriæ, quam maximè idoneam esse calidam, & siccam; sic colligitur ex Aristot. lib. de memoria, & reminiscentia, cap. 1. vbi senes, & pueros immemores esse dicit, hos quidem ob redundantem cerebri humorem, illos verò ob frigiditatem.

Tale verò temperamentum bonę memoriæ penitus est necessarium, quia eius munera, vt supra probauimus sunt conseruare, & retinere rerum imagines, eliceréque perfectiſsimam actionem, qualis est, quę versatur circa præteritum vt sic, & similiter, quasi syllogisticæ discurrendo, præteritorum memoriam facere, quod est reminisci; hæc autem omnia caloris, & siccitatis subſidio perfectius fiũt, nam siccitas plurimum iubat ad firmitatem substãtię cerebri, & ad durationem eius, consequenterq; rerum imagines in illa diutius conseruantur, inde

est,vt conferat ad retentionem. Calore etiam, quo perfectior est aliqua potentia vitalis, aptius disponitur ad munus suum ob eundum,vt constat in sensibus externis, nam quia perfectior, & immaterialior est potentia visiua alijs sensibus externis, indiget maiori copia spirituum vitalium,&animalium, vt constat ex perforatione neruorum opticorum; eadem prorsus ratione, quia memoria maiorem perfectionem sortitur præ alijs sensibus interioribus,eo quod vnum existit vitę bonum maximè necessarium,vt docuit Plinius, calore intenso indiget ex parte organi, vt dispositione ad perfectè operandum;unde Galenus, lib.quod animi mores, cap.5. [Frigiditas enim officijs omnibus animæ apertè incommodat.] Et 1.lib.de natura humana, cap.11. animi dexteritatem, & prudentiam à bilioso humore proficisci fatetur.

Huic sententiæ astipulatur Hipp.1. lib.de dięta tx.30.vbi ad optimum ingenium,&sapientiam excessum ignis supra aquam,vt dispositionem necessariam constituit.Et vt victu calido,& igneo frequēter vtantur consuluit his, qui sapientiores, & acutiores contra naturæ inclinationem esse desiderant.



SEC-

SECTIO SECVNDA.

Argumenta, quæ probant frigidum cerebrum esse magis aptum ad optimam memoriam.

ARist. 2. lib. de partibus animal. c. 4. inter causas acuti, & celeris ingenij numerat tenuẽ, & frigidum sanguinem, his verbis: [Est certe roboris efficatior sanguis, qui crasior, & calidior est, vim autem sentiendi intelligẽdique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior est.]

Præterea. 14. sectione problem. cap. 15. quærẽs cur in locis calidis homines sunt sapiẽtiores, quam in frigidis. Respondit, qui loca calida habitant esse frigidiores, & inde sapientiores.

Ad primum respondetur, solum voluisse Aristotelem, sanguinem tenuiorem, atque frigidiorem; hoc est tenuem, & temperatum esse magis aptum ad optimum ingenium, facta comparatione ad crassum nimis, & immoderatè calidũ, quod non negamus, vt cap. 3. sequenti latius constabit.

Ad secundum, ex doctrina ipsius Arist. in solutione problematis, constat solutio, inquit enim: [Qui sedes frigidas habitant, frigore loci obsistente: longe calidiores, quam sua sint natura redduntur: itaq; vinolentis admodum similes esse videntur: neque ingenio valent, quo prospiciant rerumque rationes

inquirant. Contra qui loca calida habitant: sobrij propterea sunt: quia possunt satis refrigerari.]

Quasi diceret, qui frigida loca habitant condensata cute à frigore ambiente, calidis, & humidis excremẽtitijsque fuliginibus abundant, eadẽ ratione ac ebrij; cõstat autẽ ebrios calidis, & humidis præter naturã fuliginibus secũdũ caput repleri, vt docuit idẽ Aris. 3. sectione, proble. 9. a quibus spiritus animales cõpellũtur, & cõmouẽtur, indeq; turbãtur & cõfundũtur species, vt debitæ, & ordinatæ ratiocinari nõ posint, & nimia humiditate ipsorũ lingua madefacta, In tumoremq; elebata in locutione oberrat, vt eadẽ sectione tx. 31. fatetur: ècontra verò, qui loca calida habitãt, sobrij, & tẽperati sunt, eorũ corpora facile difflãtur, nõ abũdãt fuliginibus, cerebrũque minus obstructũ est, & consequẽter internorũ sensuum organa magis instructa, vt perfectissimas suas operationes eliciant; calidi tamen, & sicci cerebri sunt tales; splẽdoreq; sicco abũdãt, indeq; ad sapiẽtiã, & prudẽtiã aptiores, vt ex Eraclito docuit Galenus lib. quod animi mores, cap. 5.

Et quod non sint sapiẽtiores eo quod frigidũ habeãt cerebrũ resoluto calore naturali à calore ambientis, vt Doctor. S. Ioann. in examine ingeniorũ, c. 8. existimauit, cõstat manifestè, nã habitãtes calidissimas regiones, vt Ethiopes quibus necessario maior est resolutio calidi innati, mores habẽt siluestres barbari, tardi, hebetisq; ingenij sunt. Si

Si tamen ambientia loca calida sunt, commodeque habitabilia, vt docet Ptholomeus. 2. quatri partiti, homines sunt magis intelligentes, ac maioris ingenij habentesque vim maiorem sciendi.

Dices, verum esse, calorem plurimum subsidij memoriæ offerre, siccitatem verò non esse huiusmodi qualitatem, quæ necessario committetur calorem, pro optima eius dispositione, quemadmodum docet Galenus. 3. lib. de locis affectis, cap. 2. his verbis: [Vbi igitur, vel perijt, vel grauiter læsa est memoria, frigida est omnino intemperies cerebri, quo circa calefacere ipsum oportet, at verò exiccare, vel humectare non necessarium est, sed si humiditati copuletur arefacere, si ariditati madefacere; cæterùm si inter has medium obtinet, ipsum est conseruandum.]

Præterea, siccitas est impedimento receptioni specierum, vt docent Arist. & D. Thom. locis supra citatis; ergo non potest esse congrua dispositio naturæ, ad memoriam conseruandam.

Respondetur, Galenum hoc loco tantum voluisse significare, calorem esse dispositionẽ magis propriam, & conuenientem memoriæ, quãtum ad eius actiones, & operationes attinet, & sic quãdo perijt, vel grauiter læsa est, hoc est quando aboletur, aut minuitur, à frigore læditur, tamen si consideretur memoria, vt thesaurus specierum, naturalis eius dis

positio est siccitas ad conseruationem, & retentionem ipsarum.

Ad secundum respondetur, negando antecedens, nam vt infra probabo siccitas nulla ratione est impedimento receptioni specierum.

SECTIO TERTIA.

Ablatę, aut diminutę lęditur memoria ab intemperie frigida.

COmmunis est sententia medicorum, ablatę, aut diminutę lædi memoriam ab intemperie frigida, sic constat ex Galeno, quem paulò antea laudauimus, idem etiam tuetur. 2. lib. de causis symptomat. cap. 7. his verbis: [At perit quidem functio in stultitia obliuioneque, qui affectus à frigore oriuntur, hęc itaque symptomata, cerebri corpus esse refrigeratum declarãt.] Item Hipp. lib. de insania: [Tristatur, & angitur homo, ac pręter temporis rationem obliuiosus fit dum cerebrum à pituita perfrigeratur.] Idem sentit Auicena fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 12. in hoc etiam Paulus, & Aetius conspirant.

Enim verò citra difficultatem explicari nequit, qua ratione ex huiusmodi causa memoria lędatur.

 Breui-

Breuiter tamen aſſero, immodici frigoris cauſa corrumpi propriam, & naturalem diſpoſitionem organi, calorem ſcilicet, tam naturalem, & inſitum cerebro, quam ſpirituum, & ſic defectu naturalis diſpoſitionis, etiam ſi memoria reſeruet ſpecies, aut non operatur, aut ſanè admodum remiſſe, quod eſt diminutè operari ſecundum maiorem, aut minorē intenſionem cauſæ morbificæ.

SECTIO QVARTA.

An frigiditas lædat memoriam quantum ad ſpecies, quas conſeruat, & recipit.

MAius tamen dubium exiſtit, an ratione frigiditatis lædi poſsit memoria, quātum ad ſpecies, ita vt ratione illius, aut non recipiat ſpecies, aut receptę corrumpantur; & ratio dubitandi eſt, quia ſpecies memoriæ, & cuiuſcunque alterius potentiæ internæ, pendent in conſeruari à diſpoſitione materiali organi, ſed frigiditas eſt diſpoſitio contraria diſpoſitioni materiali memorię, vt ſupra probauimus: ergo ab ipſa ſpecies nequeūt conſeruari; ſi autem non poſſunt conſeruari, ergo neque recipi: patet conſequentia, quia eadem diſpoſitio eſt, quę conſeruationi alicuius qualitatis in aliquo ſubiecto, & introductioni eiuſdem repugnat,

vt constat de opacitate respectu lucis, repugnat enim receptioni, & conseruationi lucis.

Dicendum tamen est, memoriam nulla ratione lædi à frigiditate, quantum ad species, ita vt ratione illius per se, aut corrumpantur, aut denuo non recipiantur: hęc conclusio manifestissima experientia firmatur, nam in conualescentibus, qui memoriā ægritudinis vi deuilem habent, frigidum est cerebrum, vt infra constabit, huiusmodi verò homines, calidis auxilijs ad motis facile in veterem sanitatē restituuntur.

Pari ratione vniuersi, qui veneni alicuius frigidioris, aut eiusmodi potionis haustu priuantur memoria, citissime medicamentis calidis, deperditam valetudinem acceptant, & in pristinam memoriæ solertiam vindicantur, in quibus memoria absque dubio læsa est, quoad suos actus, non verò quoad species, quoniam si species à frigiditate corrumperentur, non possent recordari earum rerum, quas antea memoria tenebant; igitur frigiditas non lædit memoriam quoad species.

Est tamen in præsentiarum notandum, non esse sermonem de speciebus, quæ in spiritibus cerebri conseruantur, sed de illis tantum, quę in memoriæ organo recipiuntur, & conseruantur; nam de prioribus nullum est dubium, quin spiritibus animalibus, & vitalibus, qui eran in cerebro corruptis, ipsę

etiam

etiam ſpecies, in illis exiſtentes, defectu ſubiecti corrumpantur.

Ad rationem obiectam reſpondetur, frigiditatem ſolum eſſe diſpoſitionem præternaturalem, & repugnantem memoriæ, quoad ſuos actus, non verò quoad retentionem, & conſeruationem ſpecierum.

Dices, nullum eſſe incommodum, vt aſſeramus frigiditatem nimiam, denſando ſubſtantiam cerebri impedire receptionem ſpecierum, ſicut nimia durities eſt impedimento ipſarum receptioni.

Reſpondetur, neque denſitatem, neque duritiem, eſſe impedimento receptioni ſpecierum, vt ſequenti ſectione fuſius demonſtrabimus.

SECTIO QVINTA.

Qua ratione memoria ſiccitatis, & humiditatis incommodis lædatur.

NAturalium rerum ſeduli indagatores, ac medici vna voce aſſerere conſueuerunt, cerebrum immodicis humiditatibus reddi molle; quod licet ad facilem receptionem ſpecierum conducat, tamen ad conſeruationem, & retentionē obeſt; defficiente autem ſpecie perit actio memoriæ: ſiccitas verò cerebri duritiem parit, quæ licet ad retentionem faciat, tamen ſi minus moderata ſit,

ineptum reddit organum ad recipiendum; non receptis verò speciebus memoriam non esse necesse est; quæ illorum doctrina in ratione, ijsque rebus, quę oculo subiectę sunt fundata est, nam in re molli, sigillum facile imprimitur, non tamen diu perseuerat; è contra verò in substantia dura difficulter recipitur, & longissimo temporis spacio durat, quã similitudinem admittunt Plato, in theęteto, seu lib. de scientia, ex quo desumpsit Arist. lib. de memor. & reminisc. S. Thom. 1. par. quæst. 78. artic. 4. Galenus lib. artis medic. cap. 12. Auice. fen. 1. 3. tract. 4. cap. 12. enim verò quemadmodum in rebus externis, facilis, aut difficilis est receptio ob dispositionem subiecti, sic etiam in cerebro fieri arbitrantur, ad diuturnam conseruationem recepti, idque prouenire ex similibus causis.

Et probatur à simili; nam ex densitate tunicæ corneæ, lęditur visio, vt docet Galenus. 1. de causis sympto. cap. 2. quia densata tunica non possunt species penetrare pupillam vsque ad humorem crystalinum, neque in ipsa tunica recipi. Ergo similiter, densata nimis substantia cerebri, erit sufficiens impedimentum, vt species non recipiantur. Ergo in memoria locum habet facile, aut difficile receptiuum.



SEC-

SECTIO SEXTA.

Communis Philosophorum sententia impugnatur.

HAEc sententia licet ob tantam authorum grauitatem, & præstantiam ab omnibus recipiatur, nonnullas tamen patitur difficultates, ac in primis quamuis verum sit, (quod nos etiam fatemur,) siccitatē cerebri multum prodesse ad retentionem specierum, & humiditatem ad velocem earum corruptionem, tamen hoc non fit momo dicto, nam neque durities orta ex siccitate, est impedimento receptioni, neque humiditas confert ad faciliorem receptionem, & corruptionem specierum, ea ratione, qua dicti authores existimant, neque exemplum desumptum ab externis ex sigillo impresso in re dura, aut molli quidquam valet.

Sed vt ipsa rei veritas clarius elucescat. Probo primo, duritiem, & siccitatem substantiæ cerebri non esse obstaculo, quo minus recipiantur species, ita vt maiori difficultate, recipiantur species in cerebro duro, quam in humido, & molli; quia cerebrum durum capax est eiusmodi specierum in eadem intensione, ac cerebrum molle, (tardius tamen, & difficilius recipit vt ipsi fatentur,) sed nihil obstat

obſtat ad hoc, vt ita facile recipiantur in duro, ac in molli. Ergo ex parte duritiei, nullum eſt impedimentum, minor adſtruitur nam perfectiuæ qualitates, carentes contrario, producuntur in inſtanti in ſubiecto capaci, ſed ſpecies ſunt perfectiuæ qualitates, carentes contrario, & durum cerebrum eſt capax receptionis illarum. Ergo in inſtanti debent produci, & conſequenter ita facile in duro cerebro ac in molli.

Confirmatur, quia in corpore diaphano capaci recipiendi lucem, ſi detur luminoſum debite applicatum, producitur in inſtanti totum id, quod produci poteſt in dicto corpore (vt omnes neceſſario fateri tenentur.) Ergo eadem ratione, ſi cerebrum durum, & ſiccum eſt capax recipiendi qualitates perfectiuas, & carentes contrario, quales ſunt ſpecies memoriæ, & agentia, quę ipſas producũt ſunt debite applicata, quia ſunt ſpecies expreſſæ aliorũ ſenſuum internorum. Ergo producunt totam intenſionem ſpeciei impreſſæ in memoria, quam poſſunt in inſtanti. Ergo durities non erit impedimento receptioni.

SEC.

SECTIO SEPTIMA.

Obijciuntur multa contra doctrinam præcedentis sectionis.

PLura ſunt, quæ difficilem reddunt poſitam ſententiam præcedenti ſectione. Primo, quia ſpecies ſonus, & odoris ſunt perfectiuæ qualitates carentes contrario, & non communicantur in inſtanti organis potentiarum, quas immutant, etiam ſi medium ſufficienter diſpoſitum ſit. Fieri igitur poteſt; vt ſpecies impreſſæ memorię quamuis contrario careant, non momento, ſed tempore, & paulatim producantur ob ſubiecti ineptitudinẽ. Conſequentia certa eſt à paritate rationis. Antecedens verò manifeſtiſsima experientia probatur. Primo, in ſonu, nam in tonitru teſte Ariſtotele. 2. lib. metheororum, cap. 9. prius fit ſonus, quam fulguratio, etiam ſi anticipet multo antea viſus, auditum, ergo tempore, & paulatim accedunt ſpecies ſonus ad auditum. In olfactu etiam experimur exalationes odoriferas intra ſuam ſpheram actiuitatis, non in inſtãti, ſed tempore mittere ſpecies ad olfactum.

Patres Conimbricenſes. 2. lib. de anima, c. 9. q. 3. ſentiunt non omnia, quæ in medio contrario carẽt

commu-

communicari in instanti, videlicet quando illa suopte ingenio tarda sunt, ac moram requirunt, quo pacto se habent odor, & illius species, vt monstrat experientia.

Hæc tamen sententia falsa est, nam sonus, & odor quantum est ex se, vim eandem actiuam habent, & eodem modo sunt in actu primo ad operandum in instanti, ac in tempore sequenti. Ergo si ex parte passi nulla est repugnantia, vt producatur effectus, necessario in instanti producetur. Antecedens est certum, non solùm in perfectiuis qualitatibus, sed adhuc in corruptiuis, calor enim eandem vim obtinent producendi calorem in instanti, ac in tempore sequenti, ita vt si daretur passum debite applicatũ, nudumque ab omni frigiditate, produceret totum calorem, quem potest in instanti, vt est communis sententia Philosophorum.

Ad experientias verò facile respondetur, & primo, quantum ad tonitrum concedendum est cum Aristotele prius tempore esse sonum, quam fulgurationem; non autem accedit tardius sonus ad auditum eo quod tempore producat suas species, sed quia minorẽ spheram actiuitatis habet, quam lux, quovsque vi, & impulsu ruptę nubis moueatur aër resiliens in quo sonus subijcitur, & accedat ad spheram actiuitatis intra quam suas species potest producere, non immutat auditum, cuius rei euidens est

eſt argumentum, nam ſæpè ſæpius quando nubes ſunt valde eleuatæ in media aëris regione, ſi rumpātur, viſus percipit fulgurationem, nullo tamen modo ſonum. Et eodem modo philoſophandum eſt in odoribus, nam ſemper quod exalatio odorifera eſt intra ſuam ſpheram, ſi nullum obſtat impedimentū ex parte medij momento immutat olfactum.

Dices ſecūdo, quemadmodum alia corpora ſunt magis diaphana, alia minus, ita vt minus diaphana difficilius illuminentur, non aliter ſe habent dura, & molis cerebri ſubſtantia, ita vt in dura difficillius recipiantur, quam in molli.

Sed contra hoc eſt, quia corpus minus diaphanum, à magis diaphano, in hoc duntaxat diſtinguitur, quod eſt capax recipiendi tantummodo minorem intenſionem lucis, ſi tamen debitæ applicetur luminoſum, ſtatim producit totam intenſionem, quam poteſt in illo paſſo, ſecundum capacitatem paſsi. Ergo eadem ratione, tota intenſio ſpecierum memoriǽ, quæ produci poteſt in duro cerebro, producitur in inſtanti, & vt dixi capax eſt recipiendi tantam intenſionem, ac cerebrum molle. Ergo in inſtanti eam recipit.

Dices, certiſsima experientia conſtat plurimos magna cum difficultate addiſcere, & recipere in memoria rerum imagines, ſemel tamen receptas diutiſsime conſeruare, quos vaſibus adſtricti oris

Plutarchus comparauit, quę difficile liquore replentur, plena autem minus periculose effundũtur, in his autem contra id, quod sensu percipimus, idẽ argumentum fieri potest, nam si cerebrum eas potest recipere, nihil mihi elucere videtur, cur eas cũ difficultate recipiat, & in huius argumenti confirmationem cætera omnia, quæ dicta sunt adduci possunt, necessarium igitur est sententiam, quam supra tradidimus amplecti.

Respondetur, concedendo experientiam, negando tamen id fieri, quia difficulter recipiantur species in memoria: huiusmodi enim obstaculum non oritur ex difficultate receptionis specierum, sed quia tales homines frigiditatem simul habent coniunctam cum siccitate cerebri, & ita etiam si recipiant rerum species in organo memoriæ, non operatur memoria, iuxta ea quæ supra dicta sunt. Diuturnitate autem, & perseuerancia operationum, quæ à sensibus internis exercetur, motis spiritibus incalescit cerebrum, & tunc est sufficienter dispositum organum memoriæ, vt munus suum, eo pacto exequatur, & quia eiusmodi homines habent substantiam cerebri siccam, & duram difficilisque dissolutionis, ideo tenaciter seruant ea quæ semel impressa sunt: accedit ad hoc, quod ex frequentia actuum antecedentium maioris intensionis, quos alij sensus interni exercent, species intensę satis memorię imprimuntur.

Illi

Illi autem, qui facile percipiunt, & cito obliuiscũtur, calidi, & humidi cerebri sunt, & propter facilẽ resolutionem plurium partium substantiæ cerebri corrumpuntur breui temporis spacio species; ex quo fit, vt minimè reminiscantur.

Dices, multa ex hac solutione deduci, quę apertè rationi ipsi aduersantur: in primis, si defectu caloris non recordatur primus homo facile, donec à spiritibus calidum redditur cerebrum; infertur nisi deinceps calidum perseueret cerebrum, non recordari, etiam si species adseruet: hoc autem perspicuæ falsitatem pręsefert, & experiẽtiæ repugnat, quia tales semper, & quocunque tempore, etiam non præcedentibus actibus aliorum sensuum internorum, qui valeant calefacere cerebrum, recordantur. Ergo non fuit defectus caloris, sed potius difficultas receptionis specierum.

Accedit ad hęc, quod tales semel inflamato cerebro, non solùm facile percipient rem illam, circa quam plures actus aliorum sensuum internorum præcesserunt, sed etiam aliam quamlibet, quam denuo audierint, aut lectitarint, quod est contra experientiam. Probatur sequela, quia tales habent calorem sufficientem ad optimam memoriam, & ex alia parte recipiunt species sine impedimento. Ergo etiam sine difficultate percipient.

Ad primũ respõdetur, trãsactis primis actibus, &

operationibus memoriæ, etiã si deinceps non perseueret ita intensus calor, atque antea bene recordari hominem ratione habitus in memoria relecti, iuxta ea quæ supra dicta sunt, lib. 1. cap. 8. dubio 3. his etiam adiungitur huiusmodi homines, quotiescunque illis cerebrum incalescit, citius intensiusque recordari, vt experientia demonstrat.

Ad secundum respondetur, verum esse, huiusmodi homines facilius reminisci cuiusvis rei in hoc euentu, quando calidum habent cerebrum, & hac ratione excolendo augetur memoria, vt infra dicemus: qui si plura vellint simul memoriæ mandare, non poterunt omnia percipere, ob limitatam memoriæ naturam, quæ pluribus intenta minus singulis attendere compelletur. Sigilli verò similitudinem nihil ponderis, ac momenti habere, hoc pacto probari potest; nam impreßio sigilli, in corpore duro, aut molli, fit cum quodam motu locali, & impulsu partium, nam aliæ partes pelluntur, & comprimuntur; alię verò eminẽtiores manẽt in eodem situ, quo antea erant, mollicies verò efficit, vt partes eminentiores fluant, & confundantur cum inferioribus, & similiter partes inferiores depressæ, quia fluidæ, & molles erãt, in pristinũ statũ vindicãtur, & sic sigilli figura, in re molli impressa, exiguo tẽpore durat, in corpore autẽ duro diutius quidẽ persistit, quia partes resistũt solutioni continuitatis, & depreßioni, semel-

melque impreſſa figura, propter conſiſtentiam partium in eodem loco, fixa permanet, horum verò nihil eiuſmodi in cerebro reperitur, quando ſpecies imprimuntur, vt ex ſe patet.

Ex dictis ſanè deducitur, ſiccitatẽ nulla ratione lædere memoriã ablatæ, aut diminutæ, ita vt ratione ipſius, aut nõ recipiãtur ſpecies in organo memorię, & ſic ablatæ lædatur, aut remiſſæ tãtũ, & exiguę intenſionis recipiãtur, & ſic diminute operetur.

Accedit his, quę dicta ſunt, aliud argumentũ deſumptũ ex notiſsima experiẽtia plurimorũ, quibus aſsiduo Anacardinę, & eiuſmodi medicamentorum exiccãtiũ vſu cerebrũ penitus exhauritur, idq; clarè intelligi poteſt ex ſignis, quæ tradit Gale. lib. artis medi. c. 16. ſicci cerebri, & tales facilius, eo tempore impreſſas rerum imagines recipiunt, quam ante, quando humidius cerebrum obtinebant, & ècõtra quam plurimi ſunt humidiſsimi cerebri qui neque percipiunt facile, neque reminiſcuntur.

SECTIO OCTAVA.

Memoria deprauate lædi poteſt ratione ſiccitatis

EX his, quæ præcedentibus ſectionibus dicta ſunt, conſtat deprauate lædi poſſe memoriã à ſiccitate: probatur, quia ex nimia ſiccitate cerebri ortum ducit melancholia morbus, eamque

propria ſymptomata in ſectãtur, nimirum delirium cum metu,& mærore coniunctum, neque verò eſt ratio, cur ſolum ſit circa actus aliorum ſenſuum internorum,& non circa memoriam.

Dices,qua igitur ratione ſe habent ſiccitas,& humiditas reſpectu memorię.

Reſpondetur, ſiccum cerebrum, & durum, quia firmiorem, minusque obnoxiam diſſolutioni ſubſtantiam continet, ſpecies per multum temporis retinere,& ſic ad memoriã conducere:humidis verò, quia fluidã,& ſolubilẽ ſubſtãtiã habẽt,facile plures partes deperdi,aliasq; denuo generari,&alias inter ſe cõfundi,&admiſceri:&ita ad corruptionẽ ipſarũ ſpecies etiã corrũpũtur,quę in ipſis ſubiectabãtur.

Accedit ad hæc, ꝙ in humido cerebro facilius ſuffocãtur ſpiritus, in quibus magna pars ſpecierũ reſidet,vt ſupra probauimus,& ſpecies quæ in cerebro,& in ſpiritibus fixæ manẽt,facile inter ſe cõfunduntur,& ſic inordinatę faciũt memoriam operari.

Dices,experientia conſtat plurimos homines eſſe humidi cerebri, in quibus maximè viget memoria,ſiuè ad res faciles percipiendas, ſiuè ad retinendas;igitur humiditas non lędit memoriam.

Reſpondetur,duplicem eſſe humiditatem, aliam aëream,& pinguedinem olei referẽtem,aliam verò aqueã,&pituitoſam,humiditas autẽ aërea,ſiuè ſubſtãtia humida tali humiditate magis permixta eſt, & mi-

& minus fluida, ac difficilioris dissolutionis; aquea verò è contra, magis fluida, minus permixta, & facilius dissoluitur: hoc supposito homines dicti calidi, & humidi sunt aerea, pinguique humiditate, & sic diu conseruant, quæ semel recipiunt, & fœliciter recordantur.

Dices, Hipp. lib. 1. de dieta, tx. 29. potius humiditatem aqueam laudat ad optimam memoriam, his verbis: [Si ignis, & aqua in corpore tēperamentum acceperint, fit anima sapientissima, & memoria valentissima prędita.]

Respōdetur, Hippocratē hoc loco solū voluisse ex debita mixtione, & proportione primarum qualitatum elementorum, caloris scilicet ignis, & humiditatis aquæ, oriri perfectissimum temperamentum medium, quale necessarium est ad sapientiam, & memoriam; diximus enim supra, memoriam absolutè ab omni intemperie lædi posse.

Prætereà, textu sequenti potius aqueam humiditatem ad optimum ingenium, & memoriam vitupe rat valde; inquit enim: si aquę temperamentum excedit ignem tardum ingenium, hebetem obtusumque sensuum reddit, & talibus consulit victum calidum tendentem ad ignem, vt sapientiores, & acutiores contra naturæ inclinationem fiant. Et infra textu sequenti, hęc dicit: [Porrò si in aliqua anima defectuosiorem vim ignis accipiat, quā aqua, eam

tardiorem esse necesse est, & appellantur talis stolidi.

Hæc sunt, quæ mihi difficilem reddunt communem sententiam, cui hucusque, tot sapientissimi Philosophi adstipulati sunt, argumẽtorum solutionem sedula cura, & studio quæsiui, neque tamen inuenire potui, quod non ipsorum insolubilitati, sed ingenij mei debilitati tribuo, cui hominum errata, tùm in legendo, tùm in agendo reducenda esse, ex Socrate docuit Plato lib. de fortitudine: sequutus tamen sum eiusdem Platonis placitum in Eutyphro, qui dicta Philosophorum examinanda, nec statim admittenda, etiam si vera videantur præcipit. Et Cornel. Tacit. lib. 11. ann. [Omnia quæ nunc vetustissima creduntur noua fuere inueterascet hoc quoque, & quod nunc exemplis caret inter exempla erit.] Et Diu. Augustinus lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 3. [Nulla nos certè deterret, authoritas, à quærendo quid verum sit.] Sed præclare Seneca lib. de vita beata. [Tritissima quæque via, & celeberrima decipit; nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentiũ gregem, per gentes nõ qua eundũ est, sed qua itur.] Ille autem, qui obiecta enucleare potuerit, tutiori via electa, sapientissimorum vestigijs insistat.

Ad rationem verò adductam in confirmationem dictę sententię, Respondetur, ex densitate tunicæ

corneæ

corneę reddi prędictam tunicam opacam, & sic neque capax est recipiendi lucem, neque species per illam possunt transire ad humorem crystalinum; alia verò penitus ratione producuntur species in memoria, vt vidimus supra, quia tam in duro, quā in molli cerebro capacitas est ad recipiēdam magnam intensionem dictarum specierum.

SECTIO NONA.

Qua ratione memoria caloris vi labefactetur.

EIusmodi est hæc controuersia, vt paucis explanari posit, si dicamus memoriam duobus modis lædi à calore, aut mediatè, aut immediatè; immediatè, si propter nimium cerebri calorem, atque intemperiem, totum eius temperamentum vicietur; & læsis primo alijs sensibus interioribus, qui minorem caloris intensionem, ad munus suum perfectè exequendum postulant, memoria etiam vltimo lædatur, auctæ, & deprauatę. Mediatè verò, & occasionaliter lædi potest memoria a calore, consumptis spiritibus animalibus; simulque dissipatis pluribus cerebri partibus humidis, & calidis, quarum defectu maneat cerebrum frigidum, vt accidere solet ijs, qui ex acuto morbo conualescunt, & immemores manent, qui humidis calorifi-

cisque auxilijs curantur, vt docuit Galenus. 3. de locis, cap. 3.& lib. artis medi. cap. vltimo, quo in casu ablate, aut diminutę lęditur, iuxta ea quæ supra dicta sunt demodo quo à frigore lęditur memoria.

CAPVT III.

Vtrum illi, qui præstanti memoria sunt, minus celeri, & acuto ingenio polleant.

HVIC dubitationi ansam præbuit, Arist. lib. de memoria, & reminiscentia, cap. 1. his verbis: [Nam frequenter memoria valent, qui tardo sunt ingenio, reminiscentia verò, qui celerioris acri solertique discunt ingenio.] In eius sententiæ confirmationem plures extant experientię hominum, qui maxima memoriæ tenacitate præditi, parum tamen discursiui sunt, & ècontra excellentissimi, acutissimique ingeni homines immemores, & obliuiosi: illud igitur nobis studiose exquirendum

est,

est, sit ne rationi, atque experientiæ consentaneum, & an nemo reperiri posit præcellenti memoria, simul atque ingenio; hęc porrò difficultas eadem est cum illa, in qua quæri solet, an omnes actiones sensuum internorum, posint perfectisime reperiri in eodem homine; nam ex perfectione, aut imperfectione harum actionum, dependent bonitas, acuties, & celeritas ingenij, dum anima corporis huius ergastulo inclusa est, harumque facultatum subsidio indiget.

SECTIO PRIMA.

Pars negatiua suadetur.

IN opinione medicorũ (quos supra retulimus) existimantium sensus hos internos differre locis, facile est dirimere controuersiam, nam licet illi sensus, ad omnes officij sui partes explendas diuersa temperamenta exposcant, nihil tamen repugnat huiusmodi, in diuersis cerebri partibus, locisque reperiri, aut ex consequenti hominem dari, qui omnes horum sensuum operationes, quam perfectisimas habeat.

Difficilius tamen est dirimere controuersiam, iuxta nostrum placitum, tenentium in eadem parte cerebri sensus omnes simul reperiri; nam si ad per-

 fectam

fectam operationem, quilibet sensus diuersum temperamentum, atque adeò contrarium temperamento alterius exigit, qua ratione fieri poterit, vt sensus isti debitam habeant dispositionem, ad perfectissimè operandum? hoc enim repugnat tam ex parte omnium primarum qualitatum, quam secũdarum. Primo enim, repugnat ex parte caloris, & frigiditatis; quia vt supra dictum est cum Galeno, memoria intensiorem requirit calorem, quam alij sensus interiores, æstimatiua maiorem, quam imaginatiua. Similiter repugnat ex parte siccitatis, & humiditatis, nam memoria siccitatem maiorem, minorem æstimatiua, mediam imaginatiua exposcit. Iterum firma retentio, intensam siccitatem, acita apprehensio magnam humiditatem exigit, quæ duę qualitates in eodem subiecto, & organo residere repugnant.

Quod ad secundas attinet qualitates, etiam est repugnantia ex parte illarum, vt constat ex Galeno lib. artis medici, cap. 12. his verbis: [Ingenium igitur, subtilem cerebri substantiam indicat, tarditas verò intellectus crassam; discendi facilitas formarũ facile susceptiuam, memoria verò stabilem, ac firmam; sicuti, & discendi difficultas formarum non facile susceptiuam, obliuio verò fluidam.] Si igitur ingenium tenuem cerebri substantiam efflagitat, quæ non potest stare cum dura, & crassa, qualem

postulat memoria. Ergo ex parte secundarum qualitatum repugnat, perfectissime omnes istas potentias operari.

Propter huiusmodi rationes communis opinio est Philosophorum, & plurium Medicorum, fieri non posse, vt tres illi sensus interiores perfectissime operentur in eodem homine, & consequenter, quod sit homo tenacissimæ memoriæ, & rapidi solertisq; ingenij. Ita sentiunt Saxonia de memoria naturali in praxi, cap. 9. Vatablus in paraphrasi ad libros Arist. de memoria, Doctor Varte in examine ingeniorum, cap. 10.

SECTIO SECVNDA.

Verior sententia probatur.

POtior hæc mihi sententia videtur, nullam esse repugnantiam ad hoc, vt sensus omnes interiores perfectissime operentur in eodem homine, & ex consequenti, vt possit quispiam existere, qui præstanti, ac singulari memoria, pariquè ingenio præditus sit, hoc enim ex nullo capite repugnat; neque sententiæ Arist. aduersatur, loco supra citato, potius enim nobiscum sentit, vt ex ipso clarè intelligi potest, sic enim ait: [Immò verò magna ex parte qui obtuso, hebetique ingenio sunt, memoriæ

moria magis vigent.] Illa autem particula, magna ex parte, clarè docet oppositum aliquando contingere, vt quis simul habeat optimum ingenium, & memoriam.

Duo autem supponenda sunt ad hanc sententiam stabiliendam. Primo, temperamẽtum sub quo summa perfectio sanitatis, & naturalissimæ dispositionis potest conseruari, non consistere in aliquo indiuisibili, sed habere certam latitudinem, sub qua potest conseruari, aliàs enim, nulla pars cum eiusmodi dispositione perfecta conseruari posset, nisi per aliquod instans; corpus enim in perpetua passione, & mutatione versatur, iuxta celebre illud Galeni placitum 1. lib. de sani. tuen. c. 12. vbi probat, dogma sempiterne passionis, in viuentibus, euidentem habere demonstrationem; ridiculum autem esset asserere, solùm per instans posse durare perfectissimam temperamenti dispositionem ad debitam, & perfectam operationem alicuius potentiæ.

Secundo supponendum est, quando ab authoribus dicitur memoriam indigere maiori calore, ad perfectissimam operationem, minori verò ęstimatiuam, & adhuc minori imaginatiuam, id non ita esse intelligendum, vt si in subiecto resideat calor intensior naturali, qui sufficiens erat ad optimam imaginatiuam, illa potentia vtatur remissiori illo gradu tantum ad suam operationem, sed imaginatiuam

recte operari posse, etiam si calor adeò intensus nõ esset; & è contrario, si memoria petit intensiorem calorem, non ita est intelligendum, vt cum remissiori non possit operari, sed memoriam perfectè operari posse, etiam si vsque ad talem gradum intendatur, quæ doctrina verissima est supposita latitudine tẽperamentorum, quam tradidimus.

Quibus suppositis in hunc modum corroborari potest, sententia hæc. Si enim, verbi gratia, calor minor, qui accomodatur ad actiones imaginatiuę, est instar vnius, æstimatiuæ vt duo, memoriæ verò trium ad instar, perfectio actus imaginatiuę extenditur vsque ad tertium gradum caloris, qui disponit ad optimam memoriam, quia hæc potentia non petit calorem, vt vnum indiuisibiliter, & necessario, sed ita vt si non sit intensior calor, vnico solum gradu perfectè operetur, similiter memoria postulat intensiorem gradum caloris, tamen intra latitudinem, ad quam potest peruenire aliorum sensuum perfectio; ita vt gradu, quo potest perfectissimè memoria operari declinando à tota sua latitudine, perfectissimè operentur aliæ potentiæ interiores; licet sub remissiori gradu aliæ potentię possint perfectissimè operari, non verò memoria; & totum hoc rationi, & naturæ rerum est consentaneum, prouida enim parens, quæ tam concinno ordine, & artificio omnia effecit, manca, & mutila existeret, si posi-

tis

tis in eodem homine tot potentijs, ad ipſum perficiendum, & perfectiſsimè cum illis operandum, diſ poſitiones, & temperamenta contraria, & repugnãtia, ad illarum operationes conſtitueret.

Quod verò ad proportionem humiditatis, & ſiccitatis ſpectat, etiam nulla eſt repugnantia, vt conſtat ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, cũ probaremus humiditatem minimè idoneam eſſe ad ſpecierum receptionem, & in ſicco & duro cerebro, ita facile recipi, ac in molli, & humido.

SECTIO TERTIA.

Argumenta contra veram ſententiam.

DIces, ſequitur ex ſupra poſita doctrina, illũ qui habet perfectiſsimam memoriam, habere etiam perfectiſsimam operationem aliarũ potentiarum. Probatur ſequela, nam ſi ſub gradu caloris, quo perfectiſsimè operatur memoria, poſſunt etiam aliæ potentię internę perfectiſsimè operari. Ergo quando adeſt ille gradus, neceſſario debet eſſe ſumma perfectio aliarum potentiarum, hoc autem eſt abſurdum, & contra experientiam.

Secundo, etiam infertur, neceſſario illum, qui peſsimam obtinet imaginatiuam, peſsimam, & habere æſtimatiuam, ac memoriam; ſi enim non habet

gradum

gradum conſentaneum optimæ imaginationi, multo minus habebit alijs duabus potentijs, hoc autem eſt contra experientiam, nam plures ſunt homines perfectiſsimæ æſtimatiuæ, & intellectus, qui infœlicem habent imaginationem; immò verò crebro iſtud hominibus acerrimi ingenij accidit, vt careant imaginatiua: alijque, qui maxima vigent memoria, haud adeò facili ſunt imaginatiua, quorum exempla adducit Doctor San Iuan in examine ingeniorum, cap. 1. circa finem.

Ad primum reſpondetur, quando memoria intenſiſsimo calore propriam exhibet operationem, tũc non reperiri ſummam in alijs potentijs perfectionem; & ratio eſt, quia non extenditur latitudo temperamenti aliarum potentiarum, ad vltimum gradum intenſionis caloris, ſub quo memoria perfectiſsimè poteſt operari, ſed ſolũm ad remiſsiorem gradum, ſub quo poteſt operationem perfectiſsimè exercere, & ſic quando memoria operatur perfectiſsimè, illo remiſsiori gradu, quo poteſt tunc neceſſario ex parte caloris, ſi ſimul adſunt alia, quæ neceſſaria ſunt ex parte ſiccitatis, & totius temperamenti, erit optima perfectio in actionibus omniũ facultatum.

Dices, æſtimatiua natura ſua intenſiorem calorẽ exigit, quam imaginatiua. Ergo neceſſario habet maiorem latitudinem, quam imaginatiua, & conſe-

quenter vltimam intensionem caloris attinget, sub qua perfectissimè memoria operari valet. Et sic ad minimum cum optima memoria consortium inire debet optima æstimatiua, & consequenter præstantissimum ingenium, quod etiam cum experientia repugnat, imò nihil magis contrarium videtur Aristoteli, quam optimum ingenium præstanti memoriæ coniungi.

Respondetur, verum esse, maiorem latitudinem habere ęstimatiuam ratione caloris, negamus tamē accedere ad vltimam intensionem, sub qua memoria potest perfectissimè operari.

Dices, imaginatiua accedit ad vltimam intensionem caloris, sub qua æstimatiua potest perfectissimē operari, siquidem accedit ad gradum memoriæ, qui est intensior. Ergo multo præstantius æstimatiua, in caloris sui latitudine accedit ad vltimum gradum memoriæ.

Respondetur, negando antecedens; & ratio est, quia licet imaginatiua accedit ad remissiorem gradum, sub quo memoria potest perfectissimè operari, non tamen accedit ad latitudinem ęstimatiuæ, quia æstimatiua etiam si non attingat vltimum gradum memoriæ, tamē excellit remissiorem, sub quo memoria perfectissimę potest operari.

His omnibus solutionibus accedit, id quod maximè memoria teneri debet, nimirum, cum tempe-

ramen-

ramentum non solùm consistat in proportione primarum qualitatum, sed etiam in secundis qualitatibus, simul cum primis; vt latè probat Magister meus Petrus Garcia Carrero, sen. 1. lib. 1. doct. 3. cap. 6. sic non necessario inferri, posito tali gradu caloris, cum quo omnes istæ potentiæ possunt perfectissimè operari, debere esse summam perfectionem actionum omnium facultatum, nisi accedant omnia, quæ necessaria sunt ex parte totius temperamenti, iuxta id quod supra diximus ex Galeno, lib. artis medicinalis, cap. 12. nimirum optimum ingenium subtilem substantiam cerebri significat, tarditas verò crassam. Vndè, si gradus caloris cum substantia tenui cerebri coniungitur, recta erit operatio illarum facultatum; si verò cum crassa, licet sit optima memoria, non tamen aliæ potentiæ perfectissimè operabuntur, & cum hac doctrina de tẽperamentis, quæ communis, & probata est, haud difficile erit omnia argumenta, quæ aduersus hanc sententiam afferuntur, dissoluere.

Ad secundum argumentum supra positum, respondetur, dupliciter lædi posse imaginatiuam, aut diminutæ, aut deprauatæ; si deprauatæ lędatur fiet læsio à calore intenso, deliriumque continget, & sine ordine, ac moderatione operabitur, quia variæ species excitantur, & commiscentur inter se ratione caloris, & sunt causa, vt deprauatę operetur ima-

ginatiua, in quo euentu non opus eſt, vt ęſtimatiua, quæ intenſiorem latitudinis gradum attingit detrimentum patiatur.

Si autem diminutæ læditur, aut fiet defectu caloris, quia non habet gradum ſufficientem, vt operetur, aut defectu ſiccitatis, eo quod non retinet ſpecies; tuncque abſque dubio aliæ potentię, etiam nocumentum patientur, & eiuſmodi de mentis ſtatu deijcietur, quia omni rationis, ac memoriæ facultate orbatus manebit.

Homines autem, de quibus agit argumentum, non habent læſam imaginationem, hoc pacto, ſed deprauate, quam ob cauſam frequentiſsimi accidit homines ſolertiſsimi ingenij, nec minus fęlicis memoriæ, vitiata imaginatiua delire loqui; eiuſmodi enim habent gradum caloris ita intenſum, vt illum non attingat latitudo imaginatiuæ, & ſic læſa eſt tunc à calore; itaque ob variam ſpecierum excitationem de rebus varijs, ac diſparatis eodem tempore imaginantur, & loquuntur.

Ex his quæ dicta ſunt, ſufficienter probatum manet nullam eſſe repugnantiam, ad hoc vt ſimul reperiatur excellens ingenium cum firma, & tenaci memoria. Pluresque extant hiſtoriæ, quæ hanc veritatem confirmant, Aenęus Seneca Philoſophus cum præſtantiſsimo eſſet ingenio, nullum tamen memoriæ diſpendium eſt paſſus; ipſe ſanè de ſe fatetur

tur in prologo declamationum, ita firmam, ac vege tam memoriam habuiſſe, vt non tantum ad vſum ſufficeret, ſed in miraculũ vſque procederet, & non ſolùm erat illi tenax memoria ad complectenda ea quæ volebat, ſed etiam ad continenda, quę ſemel acceperat, huius autem pręſtantiſsimi viri ingeniũ, non modo veterum philoſophorũ ingenia adęquaſſe, verum, & longe ſuperaſſe nullus eſt, qui negare audeat.

Eodem loco refert de Portio Latrone chariſsimo ſodali ſuo, magna ingenij ſubtilitate fuiſſe præditum, & ſimul ita firmam, & ſtabilem naturalem memoriam habuiſſe, vt ſuperuacuos ſibi codices exiſtimaret, quoniam omnia cogitata, animo non chartis ſcribebat.

Idem de Iulio Cæſare, de origine Adamantio, & de Cicerone adſtrui poteſt, vt conſtat ex his, quæ dicta ſunt cap. 1. lib. 1.

SECTIO QVARTA.

Vnde proueniat homines memorioſos, infœlicis ingenij eſſe.

NOn caret difficultate explicare, cur frequẽter ſaltim contingat, homines ingenioſos infœlicis memoriæ eſſe, eosque, qui memoria polent ingenio minus valere.

Conimbricenſes lib. de memor. & reminiſc. c. 10. totam cauſam redducunt in duritiem cerebri, nam durities, quæ facit, vt idola tenatius inhereant, celeritatem cogitatricis potentiæ cohibet, ac remoratur; ſicque id quod memoriam diuturnam reddit ingenium hebetat, è contra verò ingenij præſtantia conſiſtit in celeritate quadam mentis, quæ non poteſt conſiſtere cum duritie cerebri.

Quæ ſolutio non probat vnde proueniat repugnantia duritiei cerebri, cum acumine ingenij, & ex alia parte inſinuat ſubſtantiam cerebri moueri, & reflecti quando celeriter, & acute cogitatiua agit, quod falſum eſt, nam cogitatiuæ actiones, ſicut & aliorum ſenſuum internorum, ſunt immanentes, & oriuntur ex ſpecie impreſſa, & potentia apte diſpoſita, neque neceſſarium eſt flexionem aliquam, & motum localem ſubſtantię cerebri interuenire.

Dices, experientia docet, quando potentia cogitatiua aciem ſuam, in contemplatione alicuius rei intendit, oculorum palpebras, & ſupercilia attoli, & reflecti, ſimileſque motus intra cerebrum in ipſius ſubſtantia ſentiri.

Reſpondetur, negando experientiam; & ſi aliquãdo hoc euenit, potius fit ad mouendam diſtractionem ſenſuum externorum, vt poſito maiori concurſu, & conatu ex parte animæ cum cogitatiua altius, & celerius operetur.

Aliter

Aliter dubitationi respõdetur, secundum ea quæ superius tradidi ex Galeno, lib. artis medici. c. 12. nimirum, optimum ingenium tenuitatem cerebri significare, hæc autem tenuitas frequentius cum humiditate coniungitur, eo quod cerebrum, natura sua humidum sit, vt docet Auicena cap. de complexionibus membrorum, rarius verò cum siccitate; quando autem tenuitati accedit humiditas, tunc calida, & humida existente substantia cerebri, eo quod tenuitas ex calore originem suam ducit, facile resolutionem patitur plurium partium, ad quarum corruptioné plures etiam species, ex his quas memoria conseruabat, corrumpuntur, & sic tales sunt ingeniosi, & orbantur memoria retentiua, pollent autem reminiscentia, vt docet Aristot. propter celeritatem discursus. Si autem cum calore, & siccitate coniungatur substantię cerebri tenuitas, talis substantia diutius perseuerat, & minus resoluitur, & sic idola rerum conseruat; quo pacto ingenio præditi memoria, & reminiscentia pollent; è contra verò memoriosi sæpè numero habent crassam, duramque cerebri substantiam, quam obrem impressas rerum species fixius, & tenatius conseruant, ac tuentur.



SECTIO QVINTA.

Cur tenuitas cerebri acumini ingenij prodest.

DIfficile est explicare, vnde constet tenuitatē cerebri ingenij solertiæ, & acumini prodesse, crasitiem verò ob esse.

Pro huius dubij solutione notandum est, quod licet absolutè, omnis substantia cerebri sit crassa, & terrena (vt optimè notauit Argenterius lib. artis medicinalis, cap. 12.) quia tamen crasities, & tenuitas sunt contrariç qualitates, & dicuntur secundum magis, & minus, illa substantia cerebri poterit dici tenuis, quæ minus crassa est, quam alia, licet absolutè sit crassa; & hoc sensu intelligendus est Galenus quando sermonem de tenuitate cerebri instituit, aliàs sibi ipsi aduersaretur circa ea, quæ scribit 1. lib. de simplic. medic. facult. cap. 3. & 11. & 22. & lib. 4. cap. 3. dum explicat in quo crasities, & tenuitas consistunt.

Hoc supposito respondetur, ideo tenuitatem, seu minorem crasitiem substantiæ cerebri esse connaturalem dispositionem ad optimum ingenium, quia cerebrum subiectum est, & medium susceptiuum specierum sensuum internorum. Ergo quo purius, & defecatius extiterit, eo aptius ad hoc vt perfec-

tiſsimè operentur potentiæ. Eadem enim ratione philoſophandum eſt in internis ſenſibus, ac in exter nis, conſtat autem externos per puriora, tenuiora, & defecatiora media perfectius operari.

Præterea, ſi eo immaterialiores ſunt potētiæ, quo magis ad ingenium mentemque accedunt, vtuntur que ſpeciebus magis abſtractis à materia, vt ſupra probauimus, conſonum eſt rationi, vt eorum diſpo ſitiones, & organa minus materialia, & terreſtria ſint, & ex conſequenti tenuioris ſubſtantię, & inten ſioris diſpoſitionis qualitatiuę, quę producitur ab ſpiritibus animalibus.

Tandem tali exiſtente ſubſtantia cerebri ſpiritus animales melius pervadunt ipſum cerebrum, & cō ſequenter (vt docet Valleſius in eodem cap.) per- fectiſsimè diſponunt organum, ad actiones interno rum ſenſuum: cauſa autem huius penetrationis eſt, ſpirituum animalium tenuitas, quia quo tenuior eſt ſubſtantia cerebri, tenuiores generantur, vt docet Veiga eodem loco.

Accedit ad hæc, quod ex parte medij minor re- ſiſtentia eſt ad tranſitum, penetrationem, & motum localem ipſorum per omnem cerebri ſubſtantiam. Econtra verò in craſſo, terreſtri, & pingui cerebro, & craſiores ſpiritus animales generantur, motuiq; & penetrationi minus apti, &ex parte medij, obſtat impedimentum, quia pori, & cauitates cerebri ma-

gis obſtructæ ſunt, & craſſo humore intercluſa eſt via penetrationi, & libero motui ſpirituum per omnem ſubſtantiam cerebri. Quam obrem docet idē Galenus in exortatione medicinæ, animas athletarum nimio ſanguine, & adipe, quaſi cœno, ac luto ſuffuſas eſſe, & ſic nihil tenue, nihilque cæleſte penetrare poſſe. Et Plato in theęteto: [Nō rectè (inquit) anima ſe habet in denſo, aut lutulento, aut molli nimis.] Et in Timæo: [Deus excarneum, & caducū caput conformauit, quod ſic ad prudentiam, ac cæteras animæ operationes perfectiores reddendas magis expediret.] Et Hipp. 1. de dieta, circa finē: [Conducit etiam hominibus ad ſapientiam, vt minimè carnoſi ſint.]

Hanc veritatem firmam reddunt plures experiētię ſanorum hominum, qui cum in teneris annis, & iuuentute, celeri, & acuto ingenio præditi eſſent, poſtea progreſſu ętatis, otio, & delicijs, pingues, craſsi, & pletorici facti, illa ingenij ſolertia, & ratiocinationis, ac iudicij acumine ſpoliantur: cuius euētus eadem eſt cauſa, ac illorū qui dapibus, potuq; onerati minus ſagaciter diſcurrunt, quibus commune adagium conuenit: [Craſſus venter minimè tenuem mentem producit:] Quod ita putauit intelligendum eruditiſsimus, & religioſiſsimus Baſilius, lib. de vera virginitate: [Qui gulæ intemperantia, non natura pinguem ventrem habent, neceſſario quo-

quoque ſpiritus, & pingues, & craſſos generant, ac propterea hebete mente ſint.] Obſtructis namque cerebri poris impeditur tranſitus, & penetratio ſpirituum animalium ad intimas cerebri partes, & deficit diſpoſitio ſimpliciter neceſſaria ad animi ſolertiam.

SECTIO SEXTA.

Cur melancholici ſunt ingenioſi.

MElancholicos ingenio pollere, docuit Ariſtot. 30. lib. problemat. cap. 1. vbi inquirit, cur homines, qui ingenio floruerunt, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in republica adminiſtrãda, vel carmine pangendo, vel in artibus exercendis, fuerint omnes melancholici? Quod difficile apparet, ſi optimum ingenium ex tenuitate cerebri originem ducit, ſi quidem melãcholia humor eſt oppido craſſus, ac fœculentus.

Reſpondetur cum Valleſio loco ſupra citato, eiuſmodi melancholicos natura ſua minimè eſſe ingenioſos, ac ſolertes, doctosque; licet tales fieri poſsint ſtudio, laborum tollerantia, & vehementia imaginationis, qua tales maximè omnium præditi ſunt, & ex ipſo ſtudio, & exercitio naſcitur, quędã facilitas incumbendi in ipſas diſciplinas, eaque fa-

cilitas parit docilitatem, quę est in his ingenium quodam ascititium: Sic de Aristotele legitur (vt notat Enriquez dialogo 5. lib. de perfecto medico) quod dum quidam physiognomicus imaginẽ eius attento animo consideraret, certo affirmauit, Aristotelem hebeti, exiguoque ingenio pollere: cuius prognostici certior factus Aristoteles, ita respõdit. Verum profecto dixit physiognomicus, si meam natiuam temperiem percalluit, nam secundum illam talis eram futurus, perseuerantia tamen, & continuo studio ingenij acumen comparaui. Huiusmodi autem ingeniosi viri multoties facti sunt melancholici, sanguine, & bile prænimia mentis contentione, ac studio in cerebro adustis.

Dices, Arist. loquutus est de ingenio, quod cerebrum habet ratione temperamenti, quod non est studio comparatum, nam illa omnia, quæ proponit procedunt, ex idonea illa dispositione cerebri.

Respondetur, negando antecedens; nam Arist. solum quærit, cur omnes illi, qui huiusmodi disciplinis, atque artibus floruerint fuerint melancholici; non tamen ait dispositionem immediatè à melancholia productam esse maximè idoneam, ac consentaneam ingenio, nam melancholia disponit ad duritiem, & siccitatem corporis, quæ dispositio eodem Aristotele teste ingenio officit: asserit id porrò lib. de physiognomia, his verbis: [Carne molles apti

mente

mente ſunt, duri verò carne inepti; quia tactus ſubtilitate ingenioſos à non ingenioſis diſtinguimus.] Ex quo conſtat Ariſt. loquutum fuiſſe, eodem ſenſu quo illum Valleſius doctiſsimè interpretatur.

Tandē in fine huius capitis animaduertere oportet, etiam ſi ſequamur communem ſententiam recētiorum; exiſtimantium vnicum tantum eſſe ſenſum internum, cum diuerſis actibus, eadem ratione habere locum ſupra dictam diuerſitatem caloris, reſpectu diuerſorum actuum, vt verbi gratia, reſpectu actuum ratione quorum dicitur imaginatiua indigere minori caloris intenſione, & maiori reſpectu aliorum actuum ſuo ordine, nullo enim modo repugnat, eſſe neceſſariam diuerſam diſpoſitionē qualitatum, in ordine ad diuerſos actus eiuſdem potentiæ.

Ex his perſpicuæ intelligi poteſt in Chriſto ſalutis noſtræ vindice, ſine miraculo, naturæ duntaxat ordine fuiſſe perfectiſsimam operationem omnium ſenſuum internorum, & ſumma memoria pariter, ac ſolertis ingenij vi fuiſſe præditum.



CAP.

CAPVT IIII.

De causis læsionis memoriæ.

QVAE res potissimum tam præstanti potentiæ pestem, atque exitium moliatur, ex ijs, quę cap. 2. huius lib. dicta manent intelligi potest, vbi diximus esse intemperiem quandã, quæ proprius morbus est partis similaris, qualis est substãtia cerebri; iam reliquum est, vt quæ sint causæ mediatę, ex quibus frequentius talis intemperies oriri solet discutiamus.

SECTIO PRIMA.

Causæ externæ læsionis memoriæ.

EXternæ causæ sunt, aër nimis frigidus, aut calidus, iuxta id quod Arist. docet. 14. sectione problema. cap. 1. [Omnis excessus aëris, siuè calidus, siuè frigidus sit, non solùm corporis, sed etiam mentis temperamentum peruertit.] Si nimis frigidus sit aër, sua frigiditate pesundat calorem cerebri,

cerebri, & conſequenter memoriam, quæ natura ſua requirit exceſſum caloris, vt ſupra probatum eſt. Si nimis calidus, facta reſolutione, & conſumptione ſpirituum animalium, & vitalium, & plurium etiam partium ſubſtantię cerebri, orbatum calore naturali manebit cerebrum, & conſequenter memoria labefactabitur; qua ratione Ethiopis accidere ſupra probauimus, & ijs, qui ex acutis morbis in priſtinam ſanitatem vindicantur (de quibus infra erit ſermo.) Sic etiam aër nimis humidus, craſſus, & paluſtris, nocet memoriæ humectando, & obſtruendo cerebrum, qua propter, vt docet Tullius lib. de diuinat. [Thebani ingenio pingui, & craſſo; Athenienſes verò perſpicaci pollebãt.] Quia Thebis craſſus erat aër, Athenis verò rarus, ac ſubtilis; & Galenus lib. quod animi mores, cap. 10. [In Scithijs vnus vir tantum factus eſt Philoſophus Anacharſis: Athenis autẽ multi tales.] Et Pindarus: [Dicta ſues fuit gens Boetiæ vecors.] Quia Boetiæ habitatores nimia humiditate abundabant. Propter eandẽ cauſam nimius ſomnus cauſat obliuionem.

Sedulo etiam inclinato capite legere, vel ſcribere, vel otio nimio torpere; vt docet Marſilius Ficinus. 1. lib. de ſanitate ſtudioſorum, cap. 25. hebetes, obliuicſoſque efficit ſcholaſticos, eo quod pituita viſcida, vna cum craſſo humore melancholico caput occupant.

Tùm

Tùm etiam, & immoderati labores, & vigiliæ memoriam perdunt, cuius rei Galenus duplicem adducit historiam. 3. lib. de locis affectis, cap. 5. altera est cuiusdam hominis, qui ob immodicas in studijs vigilias, ac assiduitatem, omnem propé memoriam perdidit. Altera illius agricolæ, qui ob labores, quos in collendis vitibus subierat, & ob victus tenuitatem, eodem modo, affectus fuit. Nam teste Horatio.

[Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum.]

Et Homerus. Odiss.

[Mihi nequaquam placet hospes,
Qui valde præter modum simul odit, amatque,
Sed putò rectius esse vt sint mediocria cuncta.]

Causa immediata læsionis memoriæ, in his duobus hominibus, eadem est, quæ de aere nimis calido; vnde nimium exercere animum, & assidue cogitare hebetat ingenium, memoriamque obtundit, haud secus quam longa studiorum, aut meditationum intermissio.

Nimia etiam veneris cupiditas cerebrum, ob magnam spirituum vitalium, & animalium resolutionem debile reddit, ac frigidum: memorięque obest, vt & vsus continuus ciborum frigidorum, & crapulæ, vt ait Galenus. 2. lib. de motu muscu. c. 6. his adde frequentes natationes, & balnea in aqu

fri-a

frigida; item immoderatam aſsiſtentiam in fodinis auri, & argenti. Similiter ire perlutum temporibus frigidis, ac nudis pedibus præceteris lædit cerebrũ & infrigidat.

Potus etiam poſt comeſtionem dum cibi fit concoctio eam interrumpens, præſertim à cœna, memoriȩ cerebroque valde nocet. Crudæ herbæ comeſtæ, multum etiam offendunt memoriam; & dormire calciatis pedibus præcipuè cum ſolutaribus memoriam impedit, ob vaporum reflexum. Tùm etiam, & ciborum fumoſorum comeſtio, & potus, vt aliorum, porrorum, cœparum, caſei, & leguminum, brodilia, & iuſcula omnia nimis humida. Somnus etiam cibo propinquus antea quam deſcendãt cibi ad fundum ventriculi, & quies ſuperflua memoriam perdidit.

Sunt & aquæ nonnullȩ, vt refert Ariſt. lib. de mirabilibus, quas ſiquis ebiberit immemor, & demens redditur, ob immenſum earum frigus, & humiditatem: neque verò medicamenta deſunt, quȩ memoriam debilitent, vt cicuta, mandragora, papaber, huſchiamus, ſuccus lactucæ, opium, & ſimilia, quæ omnia frigida venena ſunt. Sic Bamba Hiſpaniæ Rex, hauſtu frigidi veneni, ab Eringio ſucceſſore dati, memoriam amiſsit, vt refert Rabiſius in officina: & de militibus Antonij Imperatoris refert Simplicius cap. de quantitate, quòd dũ Parthos oppug

narent

narent omnium rerum memoriam perdiderunt ob herbæ cuiusdam essum, quam deinde recuperarunt sumpta ex vino, & oleo potione.

Ex timore etiam, aut aliqua forti animi affectione memoria lædi solet, inde Cicero. 4. lib. Tuscula niarum quęstionum, metum mentem loco mouentem appellauit, ex quo illud Enij: [Tùm pabor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.] Et Ouidius lib. 3. de Ponto, ęlegia 6.

[Sed pabor attonito rationis demerat vsum.]

Et Nestor apud Homerum.

[Nam Daneis valde timeo, nec mens mihi firma,
Sat manet, attrepidat dubijs in rebus, & ipsum,
Cor pauitat, latebrisque expectoris exilit,
Deficiuntque mihi venienti crura tremore imis.]

Sic narrat Cellius Aurelianus. 1. tardarum paßionum, cap. 5. Artemidorum Grammaticum, viso improuiso in arena Crocodilo, statim ex timore, omnium litterarum factum fuisse immemorem.

Ex vulnere etiam capitis lędi solet memoria, vt accidit iubeni, cuius mentionem facit Thomas Iordanus, cap. 2. tractatu 2. de peste, & nos eius historiam supra cap. 1. huius libri enarrauimus. Et viro Atheniensi cuius meminit Valerius Maximus, lib. 1. cap. 6. qui ex ictu lapidis in capite, omnium litterarũ quibus præcipuè inseruierat oblitus fuit. Et alteri cuius historiam adducit Fernelius. 5. Patholo-

thologiæ, cap. 2. qui ex casu ab alto, & contusione capitis amisit memoriam, in quibus omnibus obstructo cerebro, frigidoque manente spiritibus animalibus, & vitalibus penitus corruptis, memoriæ vis ellissa est.

SECTIO SECVNDA.

Causæ internæ læsionis memoriæ.

CAusæ internæ mediatæ huius affectionis, aliæ sunt naturales, alię verò præternaturales; naturales sunt ętas, temperamentum, & sexus, iuxta id quod docet Arist. lib. de memor. & reminisc. pueros, senes, & qui habent frigidam temperaturam corporis, ac cerebri, minimè memoria valere.

Sed circa pueros, notandum est cum Mercuriali intelligendum esse de illis, qui in primo pueritiæ limine versantur: huiusmodi enim, quod magnas habent cruditates, humidamque, ac fluidam cerebri substantiam oppido obliuiosi sunt; pueri autem iam tendentes ad adolescentiam, potius valent memoria; vt docet Plato in Thimeo, & Celius Rodiginius lib. 5. antiquarum lectionum, cap. 15. [Pueri quamuis humectioris sint naturæ pertinaciter retinent, quę imbiberint, eo quod non distrahuntur

multis animi motibus,neque conuellitur illis cogitatio.] Quod desumpsit ex Auicena. 6.lib.naturalium. Tùm etiam,vt inquit D.Thom.propter motus vehementiam, nam quæ miramur amplius memoriæ adglutinantur affiguntur que : admirantur autem fere omnia pueri,vt quibus noua sint,& insolita, & hoc insinuauit Quintilianus, quando dixit: Nos natura esse tenatiores eorum, quæ à teneris annis imbibimus; nam quo primum est imbuta recens seruabit odorem testa diu.

Senum verò magnam esse obliuionem, satis manifestè declarat Seneca in procemio declamationum, de memoriæ suæ debilitate in deflexu ętatis conquerens;& de Iansenio referunt Conimbricenses in deflexu ætatis, litteras oblitum fuisse, qui tamen editis in scripturam egregijs commentarijs, perpetuam nominis sui memoriam posteris relinquit;quamuisCicero lib.de senectute,refert ex Catone,nullum se vnquam senem vidisse, aut audiuisse,qui defectu memoriæ;quo loco thesaurum,ollãque reposuisset oblitus esset.

Sunt autem senes obliuiosi, tùm ob frigiditatem in cerebro contractam,ob deperditionem calidi innati ratione ætatis;tùm ob redundantiam aquæ humiditatis excrementitiæ quam habent, & quia exolescunt in eis quasi in ruinosis ædificijs depictæ rerum imagines.Sic Iuuenalis Sat. 10.

Vna

[Vna ſenum facies,cum voce trementia membra,
Et iam leue caput:madidique infantia naſi.]
Et paulò infra:
[Membrorum damno maior dementia,quę nec,
Nomina ſeruorum,nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præterita cænauit noctæ:nec illos,
Quos genuit,quos educit,&c.]

Sexus etiam lædit memoriam, ratione temperamenti naturalis,qua ratione mulieres, quia abſolutè frigidiores, & humidiores ſunt viris, memoriæ minus habere conſueuerunt.

Caput etiam vaſtum, id eſt craſiſsimi oſsis quale pumiliones habent,mali ingenij, ac memoriæ ſignũ eſſe ſolet,eſt enim male compactum, fridęque nature,& plenum excrementis:vnde defectu caloris naturalis,cauitates cerebri,non benè formantur, & dilatantur. Sic Galenus lib.artis medicinalis, cap.2. vituperat caput magnum obeſis oſsibus, & vitioſum eſſe deprædicat, atque eo modo concinatum ob abundantiam materiæ craſſæ,& in coctæ in principio generationis,illudque cum malis citreis craſſi corticis componit,in quibus parum medulæ continetur. Si autem caput magnum,ſit bene cõfictum cum ſufficientibus cauitatibus,& abundantia cerebri,optimum eſt,&commendatur à Galeno eodem loco, & commentario 1.lib.6. ępide.cap.2.docet. Periclem Athenienſem fuiſſe prudentiſsimũ virum

habuisseque caput admodum magnum. Hipp.etiã 2.epide.sectione 6.tx.4. [Magnum caput, oculi nigri, & magni bonum.]

SECTIO TERTIA.

Causæ internæ præternaturales.

Causæ internæ præternaturales sunt morbi varij, & magni cerebri, qui incidere solent, vt apoplexia, epilepsia, paralisis, læthargus, carus, cathocus, catalepsis, phrenitis, melancholia, & mania. Diuerso tamen modo læditur memoria huiusmodi morbis; nam in phrenitide facta resolutione, & corruptione spirituum animalium, & tenuioribus cerebri partibus consumptis, substantia eiusdem ob ingentem inflamationem apprime sicca manet, & frigida, vt docet Galenus lib. artis medicinalis, cap. vltimo; defectu etiam spirituosæ substantiæ redditur corpus frigidum, & siccum, vt videre licet in conualescentibus.

Eadem ratione in melancholicis memoria læsionem patitur, quando cum siccitate coniungitur calor immoderatus adurens spiritus, tenuemque substantiam consumens.

Propter similem causam, qui calidissimas regiones colunt, vt Ethiopes multum refrigerantur, & mores habẽt siluestres, barbari sunt, hebetisque ingenij, & imminutæ memoriæ. Ea-

Eadem ratione docet Aetius, contingere læsionem memoriæ in conualeſcentibus.

Ex eadem cauſa profluxit obliuio, & exitiũ memoriæ crebro in peſte Thucididis celebratum, cuius Galen. meminit lib. de differen. ſymptoma, c. 3. adeò enim rerum omnium obliti erant, qui tali morbo laborarunt (Galeno teſte) vt non ſolùm propinquos, ſed etiam ſe ipſos ignorarent.

Eandem affectionem paſſus eſt Religioſus Franciſcanæ familię, cuius hiſtoriam ſupra memorauimus, & Antonius ille Senenſis, cuius meminit Antonius Beniuenius lib. de abditis morborum cauſis, cap. 47. qui conualeſcens ex præterito morbo ita oblitus fuit omnium rerum, quas fixas in memoria haberet, vt neque rerum quidem nomina reminiſceretur, neque amicos ab inimicis diſcerneret: qui poſt viginti dies excitato varij coloris fluxu alui, mentem, & memoriam recuperauit.

In alijs autem morbis, vt apoplexia, paraliſi, caro, &c. læditur memoria humoris, ac frigoris vehementia, huiuſmodi enim morbi, ex humidis craſsisque, ac minime defecatis humoribus oriuntur.

Quia verò plurimi idonea valetudine vtentes, de memoria conqueri conſueuerunt; prius tradam modum, quo memoriæ diſpendium ex morbo conflatum reparetur, deinde modum augendi, & conſeruandi memoriam in his, qui integra ſanitate fruuntur, exponam.

CAPVT V.

Quo pacto memoria morbo deperdita, aut labefactata restaurari poſsit.



X ijs, quæ ſuperiori capite memorata ſunt, facillimo negotio deprehendi poterit, quam tenerum, ac fragile bonũ ſit memoria, quantisque morborũ, ac caſuum iniurijs, & viciſitudinibus ſit obnoxiũ. Si à phrenitide, & melancholia læditur memoria, corruptis animalibus cerebri ſpiritibus, ac tenui ſubſtantia conſumpta, vt dictum eſt deperditur. Ab alijs verò morbis craſſorum humorum copia obtunditur.

His poſitis, ſi primo modo memoriam lædi contingat, tota curatio fieri debet idonea victus inſtitutione, & calidis, ac humidis medicamẽtis, aut intus aſſumptis, aut extra applicatis, vt faciamus contra frigiditatem, & ſiccitatem cerebri, & omne vacuatorium auxilium vitari debet: ſic curauit Galenus,

duos

duos illos ęgrotantes, quos supra retulimus, qui cũ exiccantibus, calorificisque auxilijs læderentur, madefacientia, quæ calefaciendi vim habebant, haud mediocri ipsis erant præsidio. Cauendum tamen est, ne nimis calida sint huiusmodi medicamenta, ne iterum spirituosę substantiæ faciant resolutionem.

Oportet igitur hac methodo procedere. Primo, benigna cæli temperies in humidum, & calidum declinans est procuranda; quod si talis aëris temperies commode inueniri nequit, facile est eam arte parare, apposito ad lentum ignem intra domum, aliquo decocto ex floribus camemali, violarum, rosarum rubrarum, ex semine lini, ex folijs maluarum, & similium, ita vt vapor decocti per totum aërem dispergatur.

Somnus etiam prolixus magna diligentia procuretur, irrigationibus calidis, & humidis, addito oleo camemalino, aut amygdalorum dulcium, aut sesami. Prossunt etiam omenta ouis, aut suis fœminæ recenter extracta calida, & sic capiti apposita, aut fiat decoctum, ex violis, rosis, semine lini, & meliloti additis extremitatibus arietis; vel abluatur cerebrum lacte tepido, admixto oleo camemalino, aut amygdalorum dulcium, aut violati, aut sesami.

Possunt etiam eadem indicatione fieri pilei, aut saculi ex eisdem herbis, & vino irroratis, vt supra

caput apportantur tempore somni.

Vitanda est eis imprimis cruditas omnis, ac sacietas, atque alimentis suculentis vtendum, quæ facile coquantur; vt breuiter nutrituram humiditatẽ reparent, præcipue sunt in hoc genere pulli gallinarum, si lacte saginẽtur, pulli etiam perdicum, non tamen ipse perdices, quæ iam sunt vnius anni, tales enim ficcioris naturæ sunt, & difficilioris concoctionis. Cõferunt etiam nobellæ gallinæ pingues, & capi, & caro veruecis selecta, & probe macerata; tùm etiam, & lactentis vitulæ; oua etiam sorbilia recentia maximè commendantur.

Vitent carnes salitas porcinas, tùm etiam, & carnes caprinas, cerbinas, leporinas, & pisces salitos, & caseum, & legumina, prȩter quam folia borraginis, & radices eiusdem elixas, & buglosȩ, & condrilæ, si sacharo condiantur.

Ex fructibus edere possunt poma odorata dulcia, & pruna passa, & vuas passas.

Potus sit vinum rubrum dulce tenue, & dilutum aqua decoctionis prunorum passorum, aut liqueritiæ, aut radicis borraginis, aut condrilæ, aut malbarum.

Optimi etiam odores ex carnibus assis perdicis, caponis, arietis, aut gallinæ, vel carnis porcinæ pinguis parum salitȩ, miro modo reficiunt, & reparant cerebrum, tùm etiam, & florum borraginis, buglosæ,

glosæ, violarum, camemali, naphæ, & rosarum, si vino irrorentur.

Si verò hęc non sufficiant, deueniendum est ad alia auxilia, quæ ore assumpta caput humectare, & modice calefacere valent, cuius generis sunt conseruæ violarum, borraginis, & buglosæ, si mane ieiuno ventre sumantur in quantitate duarum vntiarum, & insuper bibatur parum vini supra dicti. Cōferunt etiam amygdalata ex dulcibus amygdalis tempore somni, & ius factum expingui capone infarto amygdalis, nucleis pini, floribus, & folijs borraginis, & buglosæ, additis duobus, aut tribus ouis recentibus. Confert etiam, & obsonium, quod paratur ex ouis recentibus saccharo, & butyro vacino recenti admixtis.

Balnea etiam totius corporis commendantur, præcipuè si fiant ex eisdem decoctis: tùm etiam, & in vnctiones capitis, & dorsi, humidis, & modice calidis auxilijs.

Si autē ex siccitate sola, aut frigiditate nuda memoria lædatur, facile erit eadem auxilia supra posita atemperare, & corrigere, vt solū simplici intēperiei subueniamus, humectādo, & nō calefaciēdo, vel calefaciēdo magis, & humectādo minus, quę omnia diligens, & peritus medic⁹ facili negotio cōponet.

Ex dictis constat, qua etiam methodo curandum sit memoriæ malum contractum ex vigilijs, ex

studijs laboriosis, ex curis, ex venere, & alijs huiusmodi causis, quæ exinanitionem inferunt, & calorem, & spiritum minuere possunt, & debilitare.

Si verò alijs frigidis morbis memoriam lædi cõtingat, vt apoplexia, epilepsia, paralisi, cathoco, & huiusmodi; quia in his frigidum, & humidum manet cerebrum, plenumque crassis, & pituitosis humoribus, diuerso modo corrigenda est, tùm auxilijs euacuatorijs, tùm medicamentis siccis, & calidis, qua ratione huiusmodi morbi curantur, vt videre est aput omnes practicos, in curatione cuiuscunque affectus proprijs capitibus.

Idem proportionaliter dicendum est de læsione memoriæ orta ex vulnere. Ex casu, aut contusione, & commotione cerebri; nam si curatis dictis morbis, adhuc manet læsa memoria, & adsunt signa redundantis humoris excrementitij, & immodici frigoris intra cerebrum, calorificis, & exiccantibus auxilijs debet corrigi. Tùm etiam, & his, quæ spiritus vitales, & animales cito valeant reparare: methodus autem reparãdi damnum memorię illatum ex his omnibus morbis, eadem est cum illa, in qua agitur de correctione memoriæ in his, qui optima sanitate corporis fruentes, de memoria conquęruntur, de quibus capite sequenti erit sermo.

CAP.

CAPVT VI.

Quomodo memoria in frigida, & humida cerebri intemperie iubari possit.

EX ijs, qui idonea corporis valetudine vtuntur, si qui dispendium aliquod memoriæ patiuntur, ex inmodico cerebri frigore, & ex humore id pati consueuerunt; frigiditas enim, vt cap. 4. ex Galeno latè probaui, est quæ primum, & præcipuum locum tenet in memoriæ læsione, sed quia raro accidit sola frigoris intemperie cerebrum affici, & plerumq; frigiditatem consequi solet humiditas, tùm propter naturalem cerebri temperiem humidam, tùm propter defectum resolutionis, quæ à frigiditate impeditur, & propter maiorem capiam cruditatuum, quę quotidie in cerebro frigoris intemperie confecto generantur, fit vt duæ istę intemperies, quarū quælibet optimę memorię aduersatur, simul inter se connexæ, in multis hominibus (aliàs sanis) reperiantur,

tur, & non nudæ tantum (hoc enim rarum esset) sed simul pituitosum crudumque succum habentes; sic constat ex Hipp. lib. de morbo sacro tx. 24. his verbis: [Angitur autem homo, & inquietudine multa iactatur intempestiuæ, dum cerebrum perfrigeratur. Hoc verò à pituita perpetitur: ab hac autem affectione, etiam obliuiosus euadit.] Et epistola de insania: [Tristatur autem, & prçter temporis rationem obliuiosus fit dum cerebrum à pituita refrigeratur.] Quam obrem maiori studio, ac diligentia curandum est memoriæ malum ex frigida, & humida intemperie, cum humore pituitoso adiuncto contractum.

Signa autem, quæ dictam intemperiem ostendunt, hçc sunt ex Galeno lib. artis medic. cap. 15. & 17. color albicans faciei, somnus longus, nares, & aures humidç, & excrementosæ, oculorum palpebræ tumidæ, & albicantes, frequens, & copiosum sputum; huiusmodi homines etiam frequenter capitis destilationes, & chatarros patiuntur. His accedunt çtas, temperamentum, ratio victus ante acta, & similia.

SEC-

SECTIO PRIMA.

Prognoſtica.

QVod ad prognoſticum attinet. Primo, certum eſt memoriẹ detrimentum ex ſenectute accedens, nulla ratione reſtaurari poſſe; ſic docent Aetius, Mercurialis, & Saxonia, proprijs capitibus. Tùm etiam, & experientia id oſtendit, vt conſtat ex hiſtorijs Ianſenij, & Senecæ ſupra relatis, & merito quidem, nam vt docet Galen. lib. de maraſmo, quia ſenectus via eſt ad mortem, omnes actiones in ſenibus imbecilliores ſunt, & nulla ratione corrigi, aut reduci poſſunt, ſicuti neque ipſa ſenectus ſanari poteſt. Exoleſcunt enim in eis, (vt ſupra diximus) quaſi in ruinoſis ædificijs depictæ rerum imagines.

Prẹtereà, illi qui natura ſua penitus ſunt immemores, & obliuioſi, non poſſunt curari, fieri enim non poteſt, vt hanc memoriæ iacturam vlla arte recuperemus: vnde merito Ludouicus Mercatus, cap. de læſione memoriæ reprehendit pernitioſam, cum medicorum, tùm aliorum quorundam conſuetudinem, qui cum homines nati ſint à prima conſtitutione debili memoria præditi, ſtudent violentis, & acerbiſsimis medicamentis, id quod non amiſſerunt

runt recuperare, ignorantes aliud eſſe deperditam caſu aliquo præternaturali memoriam reficere. Aliud verò debilem,& natura ſua imbecillem, reddere meliorem.

Si repente incolumi exiſtente corpore obliuio aliqua contingat, metuendum eſſe ait Aetius, ne morbus comitialis,aut reſolutio, aut ſideratio ſuccedat: etenim cum à ſola intemperantia obliuio repentina oriri minimè poſsit, ſignum eſſe videtur alicuius humoris craſi, & frigidi obſtruentis cerebri cauitates, & ſuffocantis ſpiritus animales, ex qua obſtructione, merito timet Aetius aliquem morbum ex dictis.

Propter eandem cauſam poteſt etiam timeri lethargus, vt docet Foreſtus lib. 10. obſeruationum 32. Sic accidit Hiſpali Doctori Drapel de Valentia Medico, anno Domini 1617. qui repente factus obliuioſus, & grauatus capite per plures dies, incidit poſtea in magnum lethargum, ex quo præter ſpem decem medicorum, ſaluus, ac incolumis euaſit.

Hipp. 1. prorrhiticorum, in omni morbo obliuionem pernitioſiſsimam eſſe ſcribit.

SEC-

SECTIO SECVNDA

Aeris temperatura.

QVantum attinet ad curationem. Primo, pręcipiat medicus, vt patiens frequenter resideat in aëre luminoso, sicco, & temperato, declinante tamen ad calorem, hæc enim aëris tẽperies magis accõmodata est ingenio, & memorię, quam aquilonia, & vorealis; vt docet Hipp. lib. de locis aëre, & aqua, num. 8. & Arist. 14. sectione problem. tx. 1. dubitans cur animalia, quę aërem nimis calidum, aut frigidum colunt sint ferociora moribus, & aspectu, hanc reddit rationem: [Bona aëris temperies, non solum corpori, sed etiam ingenio hominis prodest: excessus autem omnes, & corporis, & mentis, temperamentum peruertunt:] Enim verò ob venignam aeris temperiem Athenas pulcherrimis ingenijs floruisse, docet Tullius, lib. de diuinatione, quia aer erat rarus, & subtilis, Thebani autem ingenio pingui erant, quia Thebis crassus erat aer. Cubiculum etiam olentibus herbarum fasciculis combustis, vaporãdum monet Forestus; possunt autem parari manipuli ex saluia, rore marino, iunipero, maiorana, & lauro: vituperat tamen suffumigationes ex ambra, moscho, & thure, quia capiti

prauis humoribus replent; hoc autem ſolum verū eſt, ſi ante vniuerſales euacuationes corporis, tales ſuffumigationes tentantur, in quo caſu, & priora poſſunt nocere; præcedentibus tamen dictis euacuationibus, depoſitaque maiori ex parte capitis plenitudine, & cacochimia ſecurè poſſunt excitari.

SECTIO TERTIA.

Somnus, & vigilia, & exercitium.

SOmnus ſit moderatus, nam vt docet Seneca loco ſupra citato: [Somnus, & otium multum nocēt intellectionibus, & memorię.] Et Ariſt. lib. de ſomno, & vigilia, cap. 3. [Somnus refrigerat, & humectat corpora.] Quæ duæ diſpoſitiones contrariæ ſunt præſtanti memoriæ.

Vigiliam quoque moderatam eſſe eſt neceſſe, nā vt docet Hipp. 2. de ratione victus, tx. vlt. [Fortis vigilia cibos crudos, & incoctos reddit, ea verò, quæ in contrarium fit mutatio, membrorum laxitatem excoctionem, & capitis grauitatem.] Quæ omnia memorię, & intelligentiæ officiunt. Si autē hæc duo moderata ſint, multum conferunt; ſomnus ad coquendum, & reparandum vires animales; vigilia verò ad diſtributionem, & expulſionem excrementorum, & ad exercitium omnium facultatum animalium.

Ne-

Neque verò exercitium immoderatam esse debet, nam ex immodico labore, & exercitio læsa fuit memoria agricolæ, cuius Galenus meminit, 3. lib. de locis affectis, cap. 5. & lib. de consuetudine, circa finem, hæc docet: [Facultates nostræ robur sibi comparant, si moderatis congruentibusque exercitijs foueantur, excessus autem omnes, vires dissoluunt.] Vnde Ouidius:

[Extenuant iuuenum vigilatę corpora noctes.]

Et quia vsus est memoriæ magister, eoque mens exculta rerum omnium, nullo negotio recordatur; vt docet Arist. lib. de memoria, & reminiscencentia, opus est frequenter aliquid meditari, & mādare memoriæ, nam meditationes memoriā conseruant, vt ibidem docet Aristot. & Galenus. 1. lib. de anothomicis administ. cap. 2. [Memoria rerum, quæ sensibus nostris patent, asiduam (inquit) requirit meditationem.] Et lib. de consuetudine, circa finem, loquens de intellectu, & memoria, vt de facultatibus necessarijs ad omnes artes, his verbis: [Eam tamen naturam hæ facultates habent, vt exercitatione vires adipiscantur, & crescant ocio autem languenscant, & minuantur.] Id quod dissertisime explicuit Plato in Thimeo, sequutus Hipp. [Qui vsum robur addere, ocium verò dissoluere pronuntiat.]

Præterea, Quintilianus lib. 11. institutio. Oratoria. cap. 2. loquens de memoria, hæc ait: [Nihil ęque, vel cura augetur, vel negligentia intercidit, quam nisi excolas, & iugi meditatione exerceas, inertia corrumpitur.] Et pręclare Seneca: [Dediscit animus sero, quod didicit diu.] Meditando namque, & excolendo memoriam, magna spirituũ copia confluit ad cerebrum, & calore, & siccitate calefaciunt, & exiccant ipsum, absumunturque humiditates excrementitię, quæ optimæ memorię erant impedimento.

SECTIO QVARTA.

Veneris vsus sacietas, & immoderatæ animi passiones.

VEneris vsus sit rarissimus, nam teste Seneca: [Nihil est tam mortiferum ingenijs quam luxuria.] Et Aetius tretrabili 2. sermone 2. cap. 23. [Veneris vsus tristitiam inducit, refrigerat, congelat, ac stupefacit intelligentiam.] Et Auicena fen. 20. lib. 3. tractatu 1. cap. 15. [Paruitas seminis corrumpit colorem, & debilitat memoriam, & intelligentiam.] Propter hanc causam homines, qui vinculo matrimonij sunt ligati, frequentius non ita fœli-

fœlicem memoriam habent.

Abſtinendum etiam eſt ab omni ſacietate, & crapula, ne copia vaporum, & crudorum humorum ad mota cerebro, memoriam lędat. Vnde Macrobius, lib.5.in ſomni Cipionis, cap.12.[Comes ebrietatis obliuio.]

Similiter abſtinendum eſt ab immoderatis animi paſsionibus, præſertim à mœſtitia, cura, & ſolicitudine, quæ affectiones memoriam in varias partes diſtrahunt. Vnde gaudium temperatum, & honeſta delectatio, præſertim meditatione ſcientiarum multum auget, & memoriam, & cæteras virtutes intellectiuas. E contra verò videre, vel audire, aut habere in animo non placentia, multum diſtrahit memoriam.

SECTIO QVINTA.

Victus inſtitutio.

QVia nihil eſt, quod æquæ corpora noſtra poſsit alterare, vel ad bonum, vel ad malũ, quam continua victus ratio, magni momenti eſt debitam victus rationem inſtituere. Debent igitur, Primo, cibi eſſe moderati, nam vt docet Hipp.lib.de internis paſsionibus: [Qui parum

edunt, aut bibunt nunquam morbis humidioribus tentantur.] Debent similiter esse calefacientes, & exsiccantes, vt similem dispositionem paulatim cerebrum contrahat; hancque victus rationem, tendentem magis ad ignem, quam ad aquam, instituit Hipp. lib. 1. de dieta, circa finem, frigidis, & humidis hominibus; vt sapientiores, acutiores, & memoriosiores contra naturę inclinationem fieri possent.

Sunt autem alimenta calida, & declinantia ad siccitatem, ex Galeno lib. de cibis boni, & mali succi. Caro assa perdicis, turturis, merulæ, turdorum, palumborum siluestrium; tùm etiam, & gallinæ, caponis, & optimæ veruecis, vituli, & hædi.

Vitent omnia pinguia, quæ in stomacho diu herent, & præcipuè piscium pinguedinem, vt tuni, & similium. Fugiant similiter ea omnia, quę à proprietate quadam memoriam lædunt, quorum copiam scripsimus, cap. 4. quæ ob nimiam humiditatem crassam, quam habent coniunctam cum acribus, & calidis partibus tendunt in cerebrum, & superfluis humoribus referciũt, & idem est de raphanis, allijs, porrijs, & nasturcio; licet Aetius, & Altimarus acria alimenta interdum concedant, vt allia, tymbria, origanum, pulegium, & raphanum.

Ante cibum moderatè, & conuenienter exerceri, non solùm memoriæ, sed cæteris functionibus prodest, sit autem longum exercitium, & per loca sicca, & amæna. Magna etiam cura omnia excrementa naturalia pellantur, vt feces, & vrina, & emũgantur nares, mundentur aures, & caput pectatur, atque confricetur.

In principio prandij comedant passulas cũ amygdalis vino madefactis, aut aqua vitæ, & finiatur cibus cum semine coriandri sacharo conditi, aut fœniculi, vel alio adstringenti alimento. Panis sit benè coctus; vina odorata, eaque alba, ac suauia, neque tamen multum antiqua; nam vt docet Aetius talia copiã spirituum vitalium, & animalium generant, & per moderatum calorem anima mansuefit, & letatur, & ad tripudia aptam faciunt præbentque ei motum concinum, ac sedatum.

Abstineant à lacticinijs, & oleribus omnibus frigefacientibus, acibisque flasuosis, ac crassæ substantiæ.

Aqua sit decoctionis radicis chinæ, aut saxiphraxiæ, au spartæ parellæ, aut anisi, aut seminis fœniculi, aut coriandri sicci.

SECTIO SEXTA.

Quæ euacuationes tentandæ.

PRimo conſiderandum eſt, an ex cruditate vẽtriculi morboſa cerebri intemperies ortum ducat, vel ad minus fobeatur; quod facile cognoſci poteſt ex ſignis debilis, & crudi ventriculi; in quo caſu initium curationis ſumẽdum eſt à deterſione, & euacuatione crudorum ſuccorum, qui ibi continentur, & à confortatione illius partis. Inter alia magni momenti erit hoc caſu bis, aut ter in ſeptimana vomitũ excitari, vt conſulit Mercatus.

Finita hac indicatione, opus eſt coniectare, an corpus laboret plenitudine, aut cacochimia, vt intelligere poſsimus, quæ euacuationes vniuerſales ſunt exercendæ ante alia auxilia. Si adſunt ſigna plenitudinis, aut aliqua ſanguinis euacuatio eſt ſuppreſſa, vtile erit ſanguinem mittere pro ratione plenitudinis, cauendo ſemper ſanguinis miſsionem ex vena cephalica, ne cerebrũ amplius refrigeremus, & debilitemus; quod ſi nulla adſunt manifeſta ſigna redundantis ſanguinis, parandum eſt corpus ad expurgationem, ſirupis concoquentibus pituitam in capite, in quem vſum vtiles ſunt, ſirupus ſthecados, aut betonicę, cum exiguo oxymellite ſimplici, aut cum

cum melle rosaceo; item sirupus hysopi, & similia, cum aquis fœniculi, mellissæ, aut betonicæ, licet maioris vtilitatis fore existimo, si serapia sine aquis deborentur, vt sic magis detineantur in ventriculo, & melius mittant ad cerebrum suos vapores; possunt autem sumi summo mane, & noctu tempore somni in quantitate duarum, aut trium vntiarum.

Circa expurgationem sciendum est, maioris vtilitatis esse pilulas, quam potiones, quia humores expurgandi sunt ex capite, & sic opus est, vt diutius medicamentum in ventriculo detineatur. Conferunt pilulæ cochiæ, aut agarici, aut arabicę, cum sine quibus, aut auræ, aut indæ, quibus omnibus vtile erit addere grana tria castorei, & formentur cum decocto capitali.

In hac tamen affectione aduertendum est, quod si adest magna copia pituitæ, non sufficit expurgatio vna, quia humor crassus, & viscosus in parte distanti fixus, vnica expurgatione minimè tolli potest; vnde paulatim, & per ępicrasim oportet eum euacuare, exibendo quarto quoque die aliquas pilulas ex dictis in minori quantitate, aut sirupum aliquem magistralem, in quem vsum ita confici potest sirupus.

SIRVPVS MAGISTRALIS.

R.saluiæ, sthecados, sampsuchi, thimi, betonicæ, roris marini ana.m.j.radicis chinæ minutim incisæ, & interioris ligni guaiaci rasi ana.vntiā j.sparte pa-rellæ vntiam dimidiam, fiat coctio secundum artē, & postea facta colatura sume vntias xx. liquoris, & adde infusionis ex.9. infusionibus rosarum per siccarum vntias viij.foliorum senæ, & seminis cartami ana.vntiam j.turbit conquasati vntiam dimidiam, hermodactilorum dragmas ij. fiat infusio secundum artem, & iterum leuis coctio, & dum fit, adde in ligatura agarici trociscati dragmas ij.& dimidiam, & facta expressione colatura cum sacharo fiat sirupus.

Huius medicamenti accipiat vntias ij.& dimidiam, magis, aut minus, secundum euacuationem quam mouet.

SECTIO SEPTIMA.

Topicorum administratio.

FActa sufficiēti euacuatione, optimum locum habent topica, quę per os, & nares pituitosi succi reliquias exhauriunt. Alia insuper subsidia to pica,

pica, quæ intus, & extra caput possunt alterare: in hunc vsum enrhina, & apophlegmatismata, ita parari possunt.

R. Succi betæ vntias ij. mellis scilitici vntiam j. misce, & cum pluma per nares mitatur.

Vel sic, R. succi sampsuchi, & succi brasicæ ana vntiam j. succi ciclaminis vntiam dimidiã elebori albi, & castorei ana g. ij. misce.

Vsus etiã nicotianæ, vulgo tabaco, in moderata quantitate per nares, vel impuluerem (qua ratione frequentius paratur) vel in suffumigium vim errhinam habet, valenterque, & exiccat, & expurgat cerebrum. Si verò folium masticetur, apophlegmatisma validũ est, & vtroque modo confert ad exiccandum cerebrum.

Eadem etiã ratione errhina varia parari possunt, ex decoctis radicis ireos, piretri, origani, pulegi, & sthecados, addito pipere, & euphorbio. Magnopere etiam laudatur ab Arnaldo hoc errhinum ad recuperandam memoriam.

R. fel gruis, & admisce cũ oleo sambucino ęqualibus partibus, & intincta pluma gallinæ pluries in diæ extornutatio prouocetur.

Apo-

Apophlegmatiſmata etiam fieri poſſunt formatis paſtillis, quæ ore trahantur ex maſthicæ, & ſinapi, aut ex cincibere, & piretro, aut ſemine maioranę cum melle, aut factis collutionibus oris ex decoctis earundem rerum.

Neque verò interea lotiones capitis parum iubant, ex decoctis herbarum capitalium, vel ſic poteſt parari lotio ex Mercuriali.

R. vini optimi albi antiqui, lib. 6. florum ſthecados, betonicæ, maioranæ, ſaluiæ ana. p. j. calami aromatici vntiam j. agarici electi dragmas iij. caryophilorum vntiam ſemiſem, coquantur ſecundum artem ad conſumptionē quintæ partis, & cum colatura fiat ablutio.

Sed vt efficatius ſit huiuſmodi lauacrum conſulit Mercurialis prius lauare caput lixiuio communi, vt omnis immundities antea eluantur, & poſt lauacrum ex vino laudat in vnctiones, veluti ſi tempora in vngantur oleo ex nucibus muſcatis, & refert ex Simone Seti authore Græco, in lib. de dieta, tanquam ſecretum, multum conferre ad memoriā ſi ſemel immenſe iliniantur tempora felle perdicis; quod auxilium manifeſta potius qualitate, quam occulta prodeſſe poterit; nam eo quod perdix inter volatilia magnam habet ſiccitatem, eius fel inten-

tensissimam siccitatem cum calore possidet, & sic vtile est ratione harum qualitatum.

Docet præterea, à proprietate conseruare memoriam, acorum melle conditũ, & cerebrum gallinæ comestum, & semen ormini, & limaturæ eboris. Multum præterea commendari ad memoriam theriacam mitridatum, confectionem diaambram, diamoschum dulcem, & summatim omnes ille confectiones, quæ vim habent calefaciendi, & exiccandi.

Sed pręter hæc, quę docet Mercurialis vtile erit lauare cerebrum decocto florum roris marini, & sthecados cum fœniculo, & dissoluatur aliquid euforbij in dicto decocto, aut fiat decoctũ, ex acoro, asaro, cardo benedicto, maiorana, iba, & nuce muscata, addita æquali parte aquæ vitæ, vel labetur cerebrum aqua instilatitia ex cipero, sthecade, galanga, cum folijs & granis hedræ; idem beneficiũ præstat, si per aliquot dies noctu abluatur cerebrum aqua vitæ duntaxat, aut in vngatur oleo anisi, piperis, fœniculi, aut euforbi, aut castorei. Caute tamen his medicamentis intense calidis, & siccis vtendum est, ne temere, & inconsideratè adhibita, phrenitidem, aut alium capitis morbum calidum excitent; experientia enim compertum est in ijs, qui incaute, nulloque docti medici adhibito consilio, horum medicamentorum periculum fecerunt, inflamato

cerebro,

cerebro, in hæc, & maiora mala infœliciter incidiſſe.

In eundem vſum multum prodeſt emplaſtrum ex galbano, & ambra poſteriori parti capitis appoſitũ; poſſunt etiam fieri pilei, & ſacculi ex herbis ſupradictis, vt tempore ſomni capiti admoueãtur. Pileus etiã, ex pelle vulpina, aut cuniculi à proprietate cerebri calorem conſeruant, poſſunt autem optimis odoribus præparari, & ſuffumigari, vt maiori efficatia vim ſuam exerceant.

His etiam addi poteſt pomum odoriferum, ex calidis, & ſiccis ſelectis medicamentis factum, vt inſpiratione per nares atrahantur calidę & ſiccę exhalationes: hęc autem eſſe poterit forma.

℞. ſtyracis calamitę vntiam dimidiã caryophilorũ, & beniudaici ana, dragmas ij. ligni aloes dragmam vnam & ſemiſem ambrę, & muſci ana. g. vj. cum ladano fiat pomum odoriferum.

Vel ſic, ℞. calami aromatici cinamomi, pulb. aromatici roſati ana. dragmas ij. galliæ muſcatę ſcrupulos ij. mellis anacardini ſcrupulum j. muſci, & ambrę ana. g. iij. cum ladano fiat pomum odoriferum.

Calido etiam, & aromatico vnguento, maximè

confert

confert nares inungere tempore somni, & mane ieiuno stomacho, vt consulit Gratarola, potest autem fieri ex oleis spicę, iazminorum, aut similium, cum pulberibus caryophilorum, ambræ, & musci, & eorundem liquorum possunt gutulæ intra aures infundi.

Si verò adeò pertinax fuerit praua illa dispositio, vt hæc non sufficiant, vtile erit assumere mane ieiuno ore aliquid castorei, vt grana .ij. vel iij. cum duabus vntijs sirupi sthecados, aut betonicæ, aut cum aqua fœniculi mellisse, aut betonicę.

Tempore etiam somni, maximè confert assumere scrupulos ij. vel dragmam j. theriacæ magnę antiquæ, aut mithridati, cum pauco vino, aut conseruam florum sthecados, roris marini, aut saluiæ.

In eundem vsum parari possunt plura opiata medicamenta, & confectiones ex eisdem simplicibus supra dictis, quorum copiam reperies aput Ludouicum Mercatum, cap. de læsione memoriæ; inuenies etiam plura medicamenta, tam simplicia, quam composita pro recuperatione memoriæ, tum apud Mesuem, lib. 2. de ægritudinibus capitis, cap. 23. tùm apud Antonium Fumanelum, lib. de compositione medicamentorum, cap. 16. tùm etiam apud VuecKerium, lib. 2. anthidotari specialis, in tractatibus de electuarijs,

de

de vnguentis, de pilulis, de confectionibus minus vsualibus, de sacculis, & multis alijs partibus; & apud Marsilium Ficinum, lib. 1. de sanitate studiosorum, cap. 25. Forestus loco supra citato, adducit historiam cuiusdam mulieris, quæ ex apoplexia valde diminutam habuit memoriã, & curauit eam facto condito, ex acoro, galanga, ex conserua florũ betonicę, roris marini, cinamomi, nucis muscatæ, &c. cuius conditi per aliquot dies mane accipiebat quantitatem castaneę; deinde matutinis temporibus, nucam, & occiput fortiter fricabat aqua instilatitia ex hedra, & exhibendo ter in septimana mirabolanum chebulum conditum, & omnibus stupẽtibus memoriam recuperauit.

SECTIO OCTAVA.

Pauperes qua ratione curandi.

PRo ęgenijs, & pauperibus, qui copiam pituitæ habent in cerebro, præcipit Guillielmus Gratarola, vt post leuem cænam, pilulas de hiera cum agarico sumant tempore somni, & sequẽti die post euacuationem faciant duas tentas (vt vocant) de arthanita, siue pane porcino, aut cyclamine, & ponant in naribus, & purgabunt fortiter: postea abluant nasum cum rosacea: & mane sequenti sumant

ſumant paruum cochlear boni, ac odorati olei, vt ſpicati, vel ſimilis, & adhibeãt narium foraminibus, & vt bene aſcendat impleant os vino generoſo.

SECTIO NONA.

Vſus Anacardinæ, ſudationes Balnea, & fontanelæ.

SI omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, non ſufficiunt, veniemus ad vſum confectionis Anacardinæ, de qua in ſequenti capite exprofeſſo agemus, cuius vſu ſi non corrigatur perfectè cerebri intemperies frigida, & humida, & adhuc crudi, & pituitoſi ſucci maneant, & generentur in cerebro, vtile erit tentare ſudationes ex ligno guayaco, aut Balnea ſulfurea naturalia, aut arte parata, quin etiã & ipſam aquam ſulphuream potare probat Mercatus.

Tandem vtiliſsimum erit fontanelas in brachijs aperire, ita conſulunt Mercurial, Mercatus, & Foreſtus locis ſupra citatis, & meus Magiſter Petrus Garcia Carrero in manu ſcriptis, ſuper lib. 3. Pauli, cap. de læſa memoria.

Aduertit tamen Mercurial, non conuenire in hac affectione ſctones, neque cauterium in occipite, quia ibi eſt ſedes memoriæ, & pernitioſum iudicat

eua-

euacuare totum caput per partem affectã; sed iam ſupra probaui lib. 1. cap. 3. memoriam non in occipite ſolum, ſed in toto cerebro reſidere, & ſic licet propter dictam cauſam nullum ſit inconueniens in illa parte euacuationem tentare, tamen quia in poſteriori cerebri ventriculo magis reſident ſpiritus animales puriores, & tenuiores, vt eodem etiam loco probaui, ideo magnam læſionem patietur memoria ob exhalationem, & reſolutionem eorundem.

Dices, Petrarcha lib. 2. rerum memorandarum, cap. 1. ſcribit de Clemente VI. Pontifice Maximo, ex vulnere graui capiti inflicto à ſupremo vertice, vſque ad nux, poſtquam ſanus euaſsit, tanta memorię vi prӕditum fuiſſe, vt quidquid ſemel legeret, obliuiſci quamuis vellet non poſſet; nullum igitur erit inconueniens iuxta occiput fontanelam, aut ſetonem aperiri, immò facta euacuatione humoris excrementitij ex propria parte patiente, neceſſario ſperandum eſt maius commodum ſequi ad optimam memoriam.

Reſpondetur, nullam eſſe repugnantiam, ex magno illo capitis vulnere Pontificis Maximi, facta euacuatione craſi, & pituitoſi humoris cerebri, qui optimæ memoriæ erat impedimento, toto tempore quo vulnus apertum durauit, & poſtea medicamentis exiccantibus conglutinato vulnere, & exiccato cerebro cõpetentique dieta, & alimento exiccanti per

per plures dies gubernato corpore, perfectißimam cerebri dispositionem comparasse. Valde tamen di uersum est cauterium perpetuo in occipitio apertum seruare, per quod spirituum copia continuo exhaletur.

CAPVT VII.

De confectione Anacardina.



SVS confectionis Anacardinę ita formidabilis, & periculosus vulgo videri solet, vt nimis audacem, & temerarium, parumque vitæ, ac salutis cupidum esse arbitrentur, qui ad reparandas memoriæ vires eam summere audeat, tanquam certum habẽtes eius vsu, si non insaniam, aut melancholiam (vt frequentius accidit) certè alicuius sensus exterioris deperditionem esse passurum; quam ob causam nunc placuit ad vnguem examinare dubia multa, quæ circa hanc confectionem, & eius vsum offerri possunt, vt certo constet quibus, & qua methodo dari poßit; opus sanè difficile, neque verò

quemquam, aut ex veteribus, aut noſtri æui hominibus extitiſſe video, qui in tam celebri, & mirabili remedio ſtilum egerere, idque ad vnguem examinare intenderet, nam licet pro memoriæ reparatione multum commendetur à Meſuæ, ab Arnaldo, à Chriſtophoro de Vega, à Mercuriali, & ab omnibus ferè authoribus, qui memorię lapſum curant, nullus tamen eius vires veramque methodum propinandi, & reliqua commoda, aut incommoda, quæ illius vſu ſequi poſſunt diſcutienda propoſuit. Ego quidem, & ſi à methodo tantorum virorum deſtitutus, tentabo tamen difficile opus hucuſque intactum (quod ego ſciam) veræ Philoſophiæ, & Medicinæ principijs celebrare, & illud e taciturnitatis denſa veluti caligine, ac tenebris in lucem proferre.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit confectio Anacardina, & quid Anacardia.

EST autem (vt ad propoſitum veniamus) cōfectio Anacardina, ſeu vt proprius loquar confectum Anacardinum, medicamentum quodam compoſitum ex ſelectis medicamentis calidis, & ſiccis, accipiens tamen denominationem

ex

ex Anacardijs, quæ ſunt è medicamentis maioris efficatiæ, è quibus ipſum componitur, eſt autem factum in forma electuarij, cum aliquali tamen ſolidiori conſiſtentia per vlteriorem coctionem (hac enim ſola diſtinctione differunt confectio, & electuarium, vt docet Meſuæ) fuit autem neceſſarium hanc eſſe confectionem, & non electuarium, vt vlteriori illa coctione vim maiorem exiccandi poſsideret.

Anacardia fructus ſunt cuiuſdam arboris, qui naſcitur in igneis Siciliæ montibus; tùm etiam magna copia eorum procreatur in India Orientali, in Prouincia Canor, in Cambaia, in Decan, in Calicut, & Malabar; tùm etiam, & in Syria. Galeno, Dioſcoridi, & alijs Græcis Medicis fuerunt incognita, nullus enim illorum inter ſimplicia medicamẽta numerat, vt docent Manardus, Mathiolus, & Lacuna, lib. 1. ſuper Dioſcoridem, cap. 141. & VuecKerius, lib. 1. antidotarij ſpecialis tractatu de fructibus. Chriſtophorus de Acoſta, qui Indiæ Orientalis plantarum ſcripſit hiſtoriam, tractatu de ſimplicibus, cap. 30. ait: ſæpius vidiſſe Anacardia viridia, & ſicca, fabisque ſimilima eſſe aſſerit, & habent ea quidem viridem colorem remiſſum, poſtea autem cum matura ſunt nigrum, ac translucidum; ſiccis verò ineſt in centro nucleus albus paruo amygdalo ſimilis, & inter nucleum, & corticem

ineſt ſuccus craſitiei mellis, niger tamen, licet alij authores ſanguini ſimile teſtentur.

Quod ad vires eorum atinet maior pars authorum, qui de Anacardijs ſcripſerunt calida, & ſicca in tertio conſtituunt gradu, licet Auicena, lib.2. tract.2.cap.42.calida,&ſicca in quarto ponit; vim habent reuocandi ſenſus, & memoriæ iacturam reſartiunt, & affectibus neruorũ, & cerebri ex frigida cauſa auxiliantur, nihilominus ſanguinem adurunt, & cutim vlcerant, quare iuuenibus noxia ſunt, cum adurant, & deletheria facultate non vacent; & lib. 6.ſuper Dioſcoridem, cap.5.iterum Mathiolus, & Lacuna inter venena calida conſtituunt Anacardia: ita Mathiolus: [Tam in potionibus hauſta, quã aliàs ingeſta, præter quam quod fauces, gutur, & ventriculum inurunt, & vſque adeò vniuerſum calefaciunt corpus, vt inde febres oriantur, excitant paraliſim in quibuſdam corporis membris, & ratiocinatricem facultatem corrumpunt, quòd ſua calorifica vi atrum ſuccum exurant.]

In tota Prouincia Malabari (vt refert Acoſta) poſitum eſt in conſuetudine vti ſucco Anacardiorum ſiccorum; loco cauſtici medicamenti, ad excitanda vlcera, & comburẽdam carnem ſuperfluam; & ſi portio dicti ſucci ponatur intra cabernam alicuius dentis putridi, breui temporis ſpacio ipſum corrumpit, adurit, & frangit. Si tamen Anacardia recen-

recentia ſint,& viridia, non dubium eſt quin minus calida, & corroſiua ſint, nam in Malabare, & alijs Prouincijs Indię,condita cum ſale, & aqua, aut cũ melle communiter in plateis venduntur;eadem ratione, ac immaturę oliuæ in Hiſpania, & comeduntur cum alijs condimentis, vt proprijs oculis vidit Acoſta. Et Auicena eodem loco,idem confirmas his verbis: [Et ſunt multi homines, qui ipſum maſticant,& non nocet eis.]

Amygdalum exigum, quod intus eſt incluſum, ſi aliquore ſeparetur inter vulgares homines frequenter comeditur, ad excitandum bibendi appetitum; contingit namque Anacardis,idem quod pipiperi noſtro rubro, quod ex India Occidentali aſportatur,nam ſi viride ſit,gratum,& in noxium alimentum eſt, multumque vſitatum ab illis, qui eas Prouincias colunt,& multis modis conditur, vt intiger fructus comedatur: quando tamen ſiccum eſt, validum calorem, aduſtionem, & mordacitatẽ continet, ita vt ſolum in cibarijs exigua quantitate,loco piperis nigri,poſsit miniſtrari.

Quamuis autem vſus præcipuus in medicina ſit liquoris Anacardorum,non verò corticum,aut nucleorum, vt docent Mathiolus, Lacuna, & Vuec-Kerius, tamen in confectione Anacardiorum ſecundum deſcriptionem Meſuæ, totus intiger fructus expoſtulatur, ait enim terantur Anacardia;

quod non poteſt intelligi, niſi de toto fructu, & eſt magis cõſonum rationi, quia totus fructus mitius, ſuauius, & minus corroſiuum medicamentum eſt, ſolo liquore,

SECTIO SECVNDA.

Mel Anacardinum.

MEl Anacardinum multis modis fieri ſolet, vt docet Ouietus, lib. 3. methodi. Alij enim condiunt Anacardia in melle quando recentia ſunt, & intra ipſum per plures dies ſeruant,& mibam hanc vocãt mel Anacardinum. Alij Ana cardia cõtuſa prius coquunt in aqua, & poſtea colligunt ſuccum melli ſimilem, qui ſupernatat, & hunc ſeruant nominantque mel Anacardinum. Alij contundunt Anacardia, & infundunt in aceto per ſeptem dies,& poſtea coquunt ad conſumptionem tertiæ partis,& facta colatura acetum,cum æquali mellis portione, lento igne ad mellis ſpiſitudinem redigunt, ſed quæ ex his preparationibus ad noſtrum inſtitutum ſit vtilior infra explicabitur.

SEC-

SECTIO TERTIA.

Variæ Anacardinæ descriptiones.

MVltæ ſunt confectionis Anacardinæ deſcriptiones. Auicena lib. 5. ſumma. 1. tract. 1. tres ſcripſit compoſitiones. Primam, ad contractionem, ideſt ad illos, qui prænimio frigore mouere ſe minimè poſſunt. Secundam, ad omnes ſpecies dolorum ſtomachi, & ad dolorem capitis antiquum, ad vertiginem, atque omne genus frigidæ complexionis. Tertiam, ad torturam, molificationem, & paraliſim.

Meſue alias tres adducit deſcriptiones, alteram lib. de electuarijs ad affectus frigidos cerebri, & totius ventris, reddentemque ſanguinem, & ſpiritus animales puriores, propter quam cauſam multum commendat eam ad ſenſus apprehenſionem, & ad intellectum, & memoriam, quam compoſitionem ſi conſideremus attentè inveniemus ad verbum tranſcriptam eſſe, ex prima Auicenę deſcriptione ſolùm diminutis quantitatibus medicamentorum, ne furtum cognoſceretur. Alteram adducit lib. 2. de ęgritudinibus, cap. de affectibus neruorum, quam multum laudat Mahemet, ad omnes ægritudines frigidas. Alteram habet lib. 2. de ęgritudinibus capitis,

cap.23.cuius authorem dicit esse filium Zachariæ.

Arnaldus de Villanoua, alias duas habet descriptiones. Alteram lib.1. practicę summariæ, tractatu de bonitate memorię, & hæc parum differt à confectione Mesuæ, & Auicenæ. Alteram verò lib.1. breuiarij, cap. 28. quam multum iubare putat ad memoriam, mentemque reuocandam, & lethargicas affectiones frangendas, accuit ingenium, sensusque, & intellectum illustrat, & est confectio pro sapientibus, & illis, qui desiderant scire.

Siluius habet aliam descriptionem antidoti Anacardini ex Actuario, lib. de electuarijs super Mesuæ.

Ali.10.lib.practicę, alteram ponit, quę plurimũ ab his discrepat.

Ludouicus Mercatus, lib.1. de curatione morborum internorum, cap.19. tres confectionis Anacardinæ compositiones facit pro memoriæ reparatione, parum tamen disimiles à prioribus; omnes verò eadem indicatione calefaciendi, & exiccandi cerebrum inventę sunt, ab his autoribus; quę communiter tamen in officinis parari solent, aut fiunt secundum descriptionem Mesuæ, lib. de electuarijs, aut Arnaldi lib.1. breuiarij, cap.28. citato, & quia magis in vsu est Arnaldi compositio, quam Mesuæ, placuit in pręsentia vtranque descriptionem proponere, & examinare causam, propter quam vtilius

ex

ex ipso, quam ex Mesuę componatur. Est autem Arnaldi confectio hæc.

Arnaldi confectio.

R. Myrobolanorum emblicorum, bellericorum, piperis albi, & longi, ana. dragmas xij. zinziberis, mellis Anacardini ana. dragmas viij. castorei, storacis, caryophilorum ana. dragmas v. florum camomillæ, baccarum lauri, cyperi ana. dragmas iij. facchari dragmas xx. mellis quod sufficiat.

Mesuæ verò sic componit suam confectionem.

Mesuæ confectio.

R. Piperis nigri, & longi, myrobolanorum cæpularum, emblicorum, bellericorum, indarum, castorei ana. dragmas ij. costi, Anacardi, melanthij, baccarum lauri, facchari boni ana. dragmas vj. ciperi dragmas iiij. tere Anacardos per se, & deinde alia excipe butyro baccino, & melle simul coctis portione æquali. Datur post sex menses ad dragmas ij. cum aqua fœniculi, & apij.

SEC-

SECTIO QVARTA.

Cur ex Arnaldo potius quam ex Mesue paretur Anacardina.

SI attentè consideremus facultates medicamẽtorum, quæ has integrãt compositiones, haud obscurè inueniemus. Arnaldi confectionem, & securiorem, & ex selectioribus medicamentis esse compositam. Primo, petit Mesue Anacardia in substantia, & nulla prægressa præparatione. Arnaldus verò mel Anacardinum præparatis prius Anacardis per septem dies aceto acerrimo, vt eius ignea vis, & corrosiua corrigatur, & postea melle conditis, ex melle autem huius pręparationis, non est cur timeamus incommoda, quæ ex Anacardis siccis sequi possunt, & supra dicta sunt.

Præterea, Mesue configit suam confectionem cũ butyro baccino, quod & est humidũ à prædominio, & vetustate fit rancidum, sicque humidiorem reddit totam compositionem: licet enim ad corrigendam, & retundẽdam acrimoniam, & vim corrosiuam Anacardiorum, & aliorum medicamẽtorum admisceatur, tamen Arnaldus, mel Anacardinum petit attemperatis prius Anacardis modo dicto.

Quod ex selectioribus medicamentis componatur,

tur cōſtat, nam Arnaldus, ſolum petit mirabolanos emblicos, & bellericos; Meſue verò, omnia genera mirobolanorum; emblici autem, & bellerici purgāt pituitam confortando ſimul cerebrum, & neruos, quod nō faciunt cæpuli, etiam ſi purgent pituitam, vt ſcribūt Meſue, Siluius, Mathiolus, VuecKerius & Lacuna: mirobolani verò indi purgant melancholiam.

Præterea, Arnaldus petit piper album loco nigri, eſt autem album piper, vt docet Acoſta, magis aromaticum, minus mordicatiuum, & iocundioris ſaporis nigro; ſicque maiori pretio habetur apud Malabares, tùm ad vſus medicinæ, tùm ad gratum ſaporem condimentorum: vnde, neque Galeno, neque Dioſcor. & alijs authoribus, qui piperis hiſtoriam ſcripſere, fides tribuenda eſt, dum aſſerunt tria piperis genera fructum eſſe eiuſdem arboris, quia indignam fidem ſecuti ſunt; vt docet Mathiolus, lib. 2. ſuper Dioſcoridem, cap. 153. Acoſta verò, in Malabare pluries diſtinctas eſſe arbores propijs oculis vidit, & arborem procreantem longum piper, plus quam quingentas leucas a Malabare diſtare affirmat, vbi album, & nigrum piper gignuntur.

Accedunt etiam ad Arnaldi compoſitionem cinciber, caryophilli, & ſthirax calamita, quę omnia vim habent aduerſus pituitoſum, & flatuoſum humorem, ſimul roborando cerebrum, vt docent authores ſupra citati.

CAP.

CAPVT VIII.

An vſu confectionis Anacardinæ, pro memoriæ reſtauratione, deperdatur ſemper aliquis ſenſus externus, aut delirium, accidat in internis.

SECTIO PRIMA.

Rationes dubitandi ex experientia.



AVD ſanè pauca difficilem nobis hanc queſtionem reddũt, inter quæ primum propè locũ tenet altiſsimè impreſſa imbulgi viſceribus opinio credentis vſu confectionis Anacardinæ, dementis ſtatu deturbatos eſſe ſtudioſos, qui memoriam accuere cupiebant; eis porrò, qui non omnino iudicium ac rationem amiſſerint, ſuſpicatur gra-

grauiorem aliquam calamitatem imminere, quæ rationis vsum cum aliquo sensuum externorum eripiat. Ansam huic opinioni præbuerunt funesti quorundam studiosorum casus, qui cum essent magna ingenij solertia prędití, ingenti memoriæ acuendæ studio inflamati, eam præstantium medicorum consilio adhibito, sumpserunt, ac repente insanierunt; alij phrenitide, magnoque ardentis febris ęstu correpti; alij melancholici, alij maniaci facti, alij citra vllum memoriæ subsidium, atque incrementum, aceruissimam, cum perpetuo capitis dolore, vitam duxerunt; neque vllum putat vulgus extitisse, qui hac sumpta aliquem ex sensibus exterioribus non perdiderit.

Ego sane quempiam Religiosum nudi pedis ex sacra familia D. Francisci noui familiariter, qui in India Occidentali, dum esset sæcularis, acuendæ memoriæ desiderio, sumpsit Anacardinam per plures dies, & maiori multo quantitate solita, & absq; vllo memoriæ augmẽto odoratum perdidit, neque vllo vnquam tempore potuit resarcire. Idem mihi narrauit, de causidico quodam familiari suo, ac necessario in Regno Peruano, quem eiusdem medicamenti vis priuauit visu: accedit ad hos alius Canonicus Doctoralis cuiusdam Ecclesię, ex illustrioribus Hispanię, quẽ noui, magna memoriæ vi præpollentem Anacardinæ vsu, & omni penitus sensu gustus expoliatus.

Ego

Ego verò cum illuſtris Collegij Deiparæ Theologorum Compluti alumnus eſſem, meque ad conſequendam Doctoratus lauream, in Auguſtiſsimo illo muſarum, ac ſcientiarum omnium ſacrario cõpararem, venit eo Religioſus quiſpiam ſub D. Franciſci teſſara militans, iuuenis apprime nobilis, is cũ & magno ingenij vigore eſſet præditus, ſummoque amore litteras complecteretur, Anacardina vti voluit, vt memoriam, cuius robur obtuſum ſentiebat, ad capeſendas diſciplinas excitaret, ea ſub finem veris docti medici conſilio vti cœpit, & cum peſulos quoſdam errhinos tenaciter naribus inſereret, poſt tres dies ſtilante enaribus ſanguine, cum grauiſsimo capitis, & febris ardore incenſus, intra biduum interijt, fluxu nullis remedijs cedente.

Sed non poſſum ſine lacrhymis referre, id quod Compluti accidit amico familiariſsimo, Sodali, & Concollega, erat ſanè nobilis iuuenis, acutiſsimi ingenij, magnis ſtudijs, tùm philoſophiæ, (in qua nõ mediocres progreſſus fecerat;) tùm Theologię cuius actu cathedram in inſigni illa Academia gubernabat; poëſi humaniſque litteris illuſtratus, is cum amore ſcientiarum flagraret, ex petitione excitandi memoriam, quam debilem, & parum firmam ſentiebat, docti Medici (etiam ſi iuuenis) conſilio Anacardinam ſumere auſus, breui temporis ſpacio, febre continua habituali correptus, hecticus ouit.

Tot

Tot tamque funesti casus, haud immerito suspectam multis, ac formidabilem redidere Anacardinam, multũque ei authoritatis, non aput vulgus modo, verumetiam prudentissimum quemque ademerunt, & quod eadem detrimenta omnibus ea vtentibus subeunda sint, argumentis haud leuibus probatur.

SECTIO SECVNDA.

Rationibus impugnatur vsus Anacardinæ.

PRimo, quia vsu huius confectionis, & methodo qua propinatur, cerebrum intense calescit, & exhauritur plusquam pro statu naturali, & totũ corpus in vniuersum incalescit, & siccatur, & hoc non actuali solum alteratione, sed habituali, & permanente, acri, & mordaci; ergo necessario intemperatis organis internorum sensuum, aut externorum, acri, & superanti calore sensus læsionem patientur, si interni læduntur, erit deprauatè, & sic delirium superueniet, si externi erit ablate, aut diminute: ergo ex vsu huius confectionis, sequitur insania, aut sensus exterioris iactura.

Et confirmatur primo, ex Auicena lib.2. tractatu 2. cap. 41. his verbis: [Confectio Anacardina cõfert corruptioni memoriæ, sed tamen commouet

aliena

alienationem, & melancholiam.] Cuius rei ratio est, quia melancholia morbus, vt docet Galenus. 3. de locis affectis, cap. 7. nascitur ex ardenti calore cerebri generante humorem melancholicum, igitur ex immodico calore contracto in cerebro vsu huius confectionis superueniet melancholia, & consequenter delirium.

Confirmatur secundo, quantum ad sensus exteriores, nam vt docent Plato dialogo de natura, cuius sententiam secutus etiam est Galenus. 7. lib. de placitis. Hipp. & Plato. cap. 5. & 1. de causis symptom. cap. 6. & 4. de locis affectis, cap. 3. ex sensibus externis duo sunt crassissimi, quia crassissima elemẽta illorũ organis permixta sunt, tactus est terreus, & gustus aqueus, & duo alij sensus sunt tenuissimi, & purissimi, tributi purioribus, & tenuioribus elementis, visus igni, auditus aëri; vnde fit, vt primis maximè delectetur corpus, secundis verò mens, quintus verò sensus, medius est natura inter vtrosque, nimirum odoratus, qui nulli elementorum tribuitur, sed substantię cuidam medię inter elementa nempe halitui, fit enim halitus cum aut aër in aquã, aut aqua in aërem commutatur, quam sententiam probant Plato, & Galenus dictis locis, & D. Isidorus lib. 2. differentiarum, cap. 11. Idque multo antea significauit Empedoclis, hoc carmine sentimus terrã tellure, liquore liquorẽ, aëre aërã substãtiam. Ignem quoque cernimus igne. Si

Si verò mentis oculos per ſingulos ſenſus circũferamus, inueniemus neceſſario vſu confectionis Anacardinæ, vnum, aut alterum, aut omnes ſimul lædi; probatur ſic, imprimis de guſtu, nam ſi propria temperatura eius organum frigidum eſt, & humidum. Ergo ſi afficiatur calore, & ſiccitate, neceſſario amittet propriam actionem, nam oppoſitis qualitatibus proprio temperamento alicuius organi, aboletur actio, vt ſupra diximus de frigiditate, quæ ablate, aut diminute lædit memoriam, quia eſt qualitas oppoſita temperamento magis proprio potentiæ memoratiuæ, & de tactu fere ſimile argumẽtum confici poteſt, nam ſi terreus eſt frigidus, & ſiccus, calida alteratione naturalem frigiditatem amittet, neque bene operari poterit defectu connaturalis diſpoſitionis.

Et quantum ad auditum ſic probatur, nam ſi humidus eſt à prædominio, tanta ſiccitate contracta, vſu huius confectionis neceſſario læſionem patietur, & ſimilia argumenta fieri poſſunt in olfactu.

Maiorem tamen difficultatem habet probare viſum læſionẽ pati, ſi igneus eſt, calidus, atque ſiccus, quin potius perfici videtur tali alteratione, ſed probatur lędi etiam vſu huius confectionis, nam magna caloris, ac ſiccitatis intemperie, nerui optici in cerebro exiccantur, & fere conuelluntur à ſiccitate, quod vel hinc intelligi poteſt, in his enim quibus

Q ſiccum

siccum est cerebrum oculi excauantur, & contrahuntur versus cerebrum, quia tensionem patiuntur nerui optici quibus oculi sunt alligati; exiccatis, & conuulsis à siccitate neruis, foramen obstruitur, & non erit transitus spiritibus ad oculos, & consequẽter potentia visiua, haud mediocriter patietur.

Præterea, phreniticis, quibus cerebrum vehemẽter calore, & siccitate inflammatur, sensus externus, qui primo læsionem pati incipit est visus, vt docet Galen. 4. lib. de locis affect. cap. 2. vbi inter prima signa phrenitidis, constituit accidentia suffusionis, idest, quando muscæ volitantes ante oculos apparent in febribus; est igitur necessario fatendum, vsu confectionis Anacardinæ, si intensissime alteretur cerebrum, sensus omnes læsionem pati; si verò non ita intense vnum, aut alterum offendi.

SECTIO TERTIA.

Vera sententia proponitur.

NIhilominus tamen dicendum est, vsum confectionis Anacardinæ, debito modo propinatæ, vtilissimum esse pro memoriȩ reparatione, his omnibus quibus ex frigida, & humida cerebri intemperie læsio accidit, & illis tuto, & secure, sine alicuius sensus exterioris, aut interioris læsione dari posse.

Pro hac conclusione fulcienda supponẽdum est.

Pri-

Primo, ex Gale. lib. 1. de ſanit. tuen. c. 4. & 5. Mortaliũ ſanitatẽ non conſiſtere in puncto aliquo indiuiſibili, ſed habere magnam latitudinẽ, & primas qualitates poſſe declinare à perfecto temperamento permanente ſanitate, & integritate in actionibus facultatum, nam pituitoſi diſcedunt notabiliter à perfecto temperamento per humiditatem, & frigiditatẽ; bilioſi per calorem, & ſiccitatem; melancholici per frigiditatem, & ſiccitatem, & omnes ſani viuunt ſine dolore, & morbo, propter quam cauſam ars medica, in morbis conſeruat naturale temperamẽtum, extra morbos verò docet Galenus has intemperies vitioſas tractandas eſſe morborum ad inſtar, & reducendas ad debitam temperiem appoſitis contrarijs qualitatibus, iuxta præceptum Hipp. 6. lib. epide. ſect. 4. tx. 12. [Naturæ calidæ refrigeratio, potus, aqua, & quies conueniunt.]

Secundo, reuocandum eſt in memoriam, verum illud, & commune prouerbium medicinæ: [Facilius eſt incidere in morbos ſimiles, quam in diſsimiles.] Lumine enim ſolo naturali cognoſcitur hominem frigidæ, ac pituitoſæ naturę, magis reſiſtere febri, & morbis calidis, quã illum, qui bilioſus eſt, calidus, & ſiccus, vt docet Galen. 8. lib. metho. cap. 8.

His ſuppoſitis, probatur concluſio, vſus confectionis Anacardinæ, & methodus qua propinatur, ſolum tendit ad calefaciendam, & exiccandã cerebri

 ſub-

ſubſtantiam, & introducendam temperiem connaturalem memoriæ, ergo cerebrum aliàs frigidum, plenumque excrementitijs cruditatibus, vſu huius confectionis potius ad naturalem, & meliorem temperiem reducetur. Conſecutio probatur, quia illa temperies eſt melior, & magis connaturalis alicui parti, cũ qua facultates talis partis perfectius operãtur, ſed calore, & ſiccitate perfectius operãtur potẽtię, quę ſunt in cerebro, quã frigiditate, & humiditate, vt cõſtat experiẽtia, & ſupra probauimus c. 2. huius lib. Ergo naturalior eſt illa cerebri tẽperies.

Præterea, hoc argumento ſatis efficaciter probatur, confectionẽ Aracardinã, ſi debito modo propinetur, nihil detrimẽti actionibus, externorũ ſenſuũ, aut internorum allaturam; nam temperamento cõnaturali, & proprio cerebri non eſt cur læſio fiat in actionibus externorum ſenſuum, cuius rei euidens experiẽtia nobis præbet argumentum; plures enim homines ſunt, qui propria natura fœliciſsima pollent memoria, aliàs nullam lęſionem habẽtes in ſenſibus exterioribus, aut interioribus; tales autem neceſſario calidi, & ſicci ſunt cerebri propria ſua natura, iuxta ea quæ ſupra dicta ſunt, c. 2. huius libri; vbi ex Ariſtot. ex Hipp. & Gale. probaui, hanc eſſe genuinam memorię temperiem. Ergo licet arte idẽ temperamentum introducatur in cerebro, & paulatim reducatur ad debitã tẽperiẽ, nõ eſt cur externi

aut

aut interni ſenſus lędantur. Eandem enim repugnantiam haberet, calida, & ſicca temperies naturalis cerebri, cum organis ſenſuum externorum, aut internorum, ac aduentitia ex cauſa externa, ſi ſunt eiuſdem intenſionis.

Accedunt in confirmationem huius noſtræ ſententiæ, Auicenæ, Meſuæ, Arnaldi, Donati Antoni, Mercurialis, Herculis Saxoniæ, Marſili Ficini, & aliorum plurium grauiſsimorum authorum ſententiæ, qui ad reſtaurandas memorię vires Anacardia, & Anacardinã ſummopere commẽdarunt, & Chriſtophorus de Vega, vir tantæ authoritatis, pluſquã centies, miro modo prodeſſe experimento probauit. Et doctiſsimus meus Magiſter Petrus Garcia Carrero, pluries eiuſdem medicamenti periculum fecit, nullaque ratione formidabat id omnibus illis, qui memoriæ detrimentum ex frigida, & humida cauſa patiebantur propinare, cuius conſilio dum cum illo praxi operam nauarem Anacardinam ſumere decreui rouorandæ, & augendę memorię deſiderio, legitimis tamen occupationibus diſtractus non potui: ſed quod magis mirandum eſt, ipſe Doctor aſſeueranter mihi affirmauit, quod niſi moleſtiſsima fluxione calida ad pedem crutiaretur, & vſu Anacardinæ, eius incrementum non timeret, abſque dubio tunc temporis (erat autem principiũ æſtatis) ipſam ſumeret pro memoriæ reparatione,

 quam-

quamuis iam ſexagenarius eſſet.

Eodem tempore doctiſsimus alter primariam medicinæ cathedram occupans Ioannes Illephonſus de Fontecha, ipſam actu ſumebat, cum incredibili memoriç vtilitate.

Doctor Peña Medicus Regius, olimque Toletanç Academiæ Primariam Cathedram Regens, ſe pluſquam quinquaginta vices, cum incredibili vtilitate Anacardinam propinaſſe mihi certo affirmauit, & inter alias hiſtorias celebrem quandam cuiuſdam ſtupidi, & obliuioſi presbyteri retulit, qui vſu huius confectionis, eam memoriam comparauit, vt nullius rei quam legeret, aut audiret obliuiſceretur, & ita illi aſuetus fuit, vt à dragma vna, vſque ad vntiam vnam, nullo ſecuto incommodo ſumere eſſet auſus, Matriti in officina illius magni artificis Franciſci Velez.

Neque exiſtimandum eſt, nouam eſſe methodum memoriç iacturam potionibus curare, nam Animianus Marcelinus elegans, & fidedigniſsimus author refert de Rege Cyro, de Simonide Lirico, & de Hypaſeleo, qui celebris, & incorruptæ memoriæ fuerunt, hanc omnes comparaſſe vſu quarundam potionum.

SEC-

SECTIO QVARTA.

Argumenta contra veram ſententiam.

DIces, totum hoc verum eſſe, ſi ita illius medicamenti vim temperare poſſemus, vt ſolum illum gradum attingeret, cum quo memoria conſeruatur in homine fœlicis memoriæ naturalis, tamen hoc eſt impoſsibile, neque enim certo cognoſci poteſt, quam intenſionem habeat gradus naturalis, neque ſi cognoſceretur, poſſet applicari agens, quod ſolum eundem gradum produceret, ſed aut remiſsiorem, & ſic non conſequeretur finis, aut intenſiorem, & ſic tunc ſenſus læſionẽ patiẽtur.

Prętereà, eiſdem penitus argumentis conuincitur, etiam ſi aliquis ſit natura, & proprio temperamento obliuioſus, arte, & vſu Anacardinę poſſe memoriam ad meliorem ſtatum reducere, cuius contrarium dictum eſt ſupra cap. 6. cum Mercuriali, & Ludouico Mercato.

Accedunt ad hoc plura, neque exigua incommoda, quæ vſu huius confectionis ſequi poſſunt. In primis, corpore exiſtentę cacochimo pleno cruditatibus, calore confectionis, & aliorum medicamentorum, quæ cum illa adminiſtrantur, putrefient excremẽtitij ſucci, & excitabitur febris putrida, quod

multum timent Georgius Florentinus, & Siluius ſuper Meſuem loco ſupra citato.

Eodem pacto redundante in cerebro pituitoſo humore, intenſa alteratione caloris liquabitur pituita, & neceſſario excitabuntur nociuę fluxiones ad pulmones, & conſequenter phthiſes.

Deinde iecur præternaturæ ordinem incaleſcet, ex cuius intemperie grauiſsima mala oriuntur.

Ad primam obiectionem reſpondetur, in primis, non eſſe neceſſarium cognoſcere certum, & determinatum gradum naturalem, cum quo optima memoria conſeruatur, ſed ſcire ſufficit opus eſſe exceſſu caloris, & ſiccitatis ſupra alias qualitates contrarias in cerebro vt optima memoria ſit (iam enim ſupra probauimus has qualitates prędominare in his, qui optimam memoriam habent) & ſic alteratio à medicamentis fiet in curatione huius affectus, quouſque proprijs ſignis cognoſcat medicus exiccatum, & calefactum eſſe cerebrum, quod facile intelliget, notatis contrarijs ſignis, his quæ ſupra propoſſuimus frigidi, & humidi cerebri, quæ ſi adſunt neceſſario magnum perſentiſcet auxilium laborans, & maiorem facilitatem in facultate memoratiua; hæc doctrina facilius intelligetur, & magis corroborabitur notato attentè ſupra poſito notabili, de latitudine temperamentorum intra latitudinem ſanitatis.

Ad

Ad ſecundam reſpondetur, dupliciter aliquem natura, & proprio temperamento obliuioſum fieri poſſe, nam aut naturaliter omni memoria caret, aut debilem eam ab ipſius in cunabilis ſentit, eo quod frigidum, & humidum cerebrum à natura ſua conſecutus ſit. Si primo modo accidat, abſque dubio, vt docet Mercurialis, huiuſmodi vitium non poteſt curari, nam tales vecordes ſunt, & mentecapti, bardo illi ſimilimi, quę refert Atenęus, ignoraſſe quot pedes haberet, & Tratiæ incolis, quos ait Ariſtot. vltra quatuor numerare non potuiſſe. His omnibus, & ingens intemperies frigida, & morbus tum in obſtructione, tum in mala formatione cauitatum cerebri, rationis, ac memorię exciſſę ſunt cauſæ; tales autem natiui morbi à medico non tractantur.

Si verò ſecundo modo fiat, abſque dubio lenta alteratione, & reductione calefacto, & exiccato cerebro, poſſumus memoriam emendare; hoc enim cōmune præceptum eſt omnibus intemperatis naturis, vt paulatim reducantur contrarijs qualitatibus ad debitam temperiem dum in otio, & extra morbos ſunt, neque hoc negat Ludouicus Mercatus, vt conſtat his verbis: [Quis enim non intelligit naturalem cerebri, vel cuiuſvis partis temperiem, ſi in meliorem mutari oporteat, ſenſim, paulatim, leniter, & blan e eſſe agendum.] Sed ſolum damnat eorum ſententiam, qui indifferenter quamlibet memo

riæ iacturam naturalem, efficacißimis medicamentis, qualia ſunt, quę ex Anacardis componuntur, intendunt emendare, etiam ſi nihil craſſum, frigidũ, & humidum in capite, & corporibus iuuenum inueniatur, aduerſus quod pugnare poßint, viresque ſuas exercere; in quo caſu liquefacere, conterere, & mille alijs modis ſubſtantiam cerebri lædere docet, ſed nullo pacto inficiatur, neque inficiari poteſt, conſequenter cum his, quæ docet eodem capite, memoriam natura ſua debilem, ac inualidam ob nimiam frigiditatem, & humiditatem cerebri, cum redundantia humoris pituitoſi, reduci poſſe ad meliorem ſtatum vſu confectionis Anacardinæ, & alijs medicamentis huius generis, debite propinatis tali ordine, vt paulatim calefaciant, & exiccent cerebrum.

Præterea, ipſe concedit memoriam natura ſua debilem augeri poſſe victu, exercitijs, ſtudijs, & exacta mentis attentione, quæ omnia cerebro vtilia ſunt ob hoc tantum, quod ipſum exiccant, & calefaciũt. Ergo & debito vſu Anacardinæ melius memoriæ temperies aptari poterit.

Præterea, ſi vitium memoriæ ex principijs generationis, prouenit ex eiſdem cauſis, cur non poterit curari eiſdem medicamentis; vt optimè notauit Altimarus in fine capitis de memoriæ iactura.

Ad tertiam reſpondetur, nullum ſequi incommodum

dum vſu Anacardinę ſi debito modo propinetur; quin potius in his quibus frigidum,& humidum eſt cerebrum cum redundantia humoris pituitoſi,melior multo erit valetudo,& à multis morbis, qui timeri poſſent præſeruabitur;& in primis,id quod dicitur de febre putrida,verum eſt,talem poſſe excitari corpore exiſtente cacochimo, ſi prius non auferatur cacochimia; ante tamen quam huiuſmodi confectio miniſtretur,purgandum eſt corpus, & cerebrum à vitioſis ſuccis, qui accendi, & putrefieri poſſunt,qua facta diligentia, ceſſat etiam ſecũdum incommodum, nam purgato prius cerebro expurganti medicamento, poſtea errhinis, & apophlegmatiſmis, nulla ſuperſt copia humoris, quæ ſtillet, & huiuſmodi fluxum ad thoracem efficiat, ſed potius humoris portio,quæ remanet,reſoluitur à dicta confectione,& abſumitur, manetque cerebrum magis liberum,& exoneratum ab excrementis,minusque obnoxium catarrhis;immò potius neceſſarium eſt(vt notãt Mercurialis,Mercatus,& Fragoſus)vt inueniat craſſos,&frigidos humores Anacardina, in quos vim ſuam poſsit exercere, quia aliàs cerebri ſubſtantiam deuaſtabit.

His accedit experimentum eorum, qui Anacardinam pro memoriæ reparatione ſumpſerunt, quibus exigua, aut nulla excrementa per nares, per oculos,per aures,& per os expelluntur.

Et cre-

Et credendum eſt confectionem Anacardinam, non fuiſſe primario inventam ab authoribus pro memoriæ reparatione, ſed pro varijs, & diuerſis morbis frigidis, ortis ex craſſa pituita; vnde vtiliſsima eſt, in dolore ventris inferioris, & ſtomachi, & renum à cauſa frigida, & in omnibus capitis morbis ex frigida & humida cerebri intemperie, cum redundantia humoris pituitoſi; vt docent Auicena, Meſues, Arnaldus, & VuecKerius proprijs capitibus de compoſitione huius confectionis.

Ad vltimam reſpondetur, nos haud quaquam exibere confectionem Anacardinam, illis qui iecur calidum præter naturam habent, ſed illis ſolùm quibus hepar temperatum eſt, aut intemperatum verſus frigiditatem, & humiditatem, quibus ſi debito modo detur, non eſt cur timeamus intenſo calore iecur eſſe afficiendum.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur argumenta poſita in principio quæſtionis.

SEd iam faciamus ſatis argumentis in principio poſitis. Ad primum reſpondetur, admittendo funeſtos omnes caſus quos proponit, quibus vulgus iuxto timore confectum, Anacardinam ſuſpectam,

pectam,& formidabilem iudicat; hæc autem detrimenta ſolum ex imperitia vtentium orta ſunt, nam ſi exempli gratia, iuueni bilioſo, ac cacochimo calido tempore propinetur, neceſſario immoderate calefacto cerebro, aut excitabitur phrenitis, aut aduſtis ſanguine, & bile melancholia, aut mania accident, aut apertis, vel corroſis venarum oribus ſanguinis fluxus pernitioſi ſuperuenient, vt contingit Monacho Franciſcano, cuius ſupra mentionem fecimus.

Præterea, ſi iuueni bilioſo, aduſto, calidi hepatis, macri, & hirſuti habitus corporis Anacardina tempore calido, nulloque admixto correctiuo medicamento propinetur; quid mirum hecticam febrem, (qualiter chariſsimo meo ſodali, & concollege accidit) ſuperuenire, nos autem vtimur hoc medicamento cum delectu, ſolùm in his quibus memoria, frigore, & humiditate, ac pituitoſi humoris affluentia læſa eſt, quibus nihil incommodi (vt probatum eſt) poteſt advenire.

Addo etiam, adhuc frigidis, & humidis naturis poſſe læſionem magnam contingere vſu huius confectionis, defectu methodi, & debiti modi propinandi eam, excedendo quantitatem, & peccando in occaſione, & modo vtendi. Illi autem, qui methodo infra proponenda vſus fuerit ſecure, & ſine noxa illa vti poteſt.

SEC-

SECTIO SEXTA.

Cur alij gustum, alij olfactum vsu Anacardinæ amisserunt.

HAud paulò maior se offert difficultas, vt explicemus quomodo sumpta Anacardina alij gustum, alij olfactum, visum alij perdiderint, si vere sunt historię supra positę.

Sed pro tanti dubij solutione reuocare oportet ad memoriam, id quod supra diximus cap. 2. huius libri, nimirum per quanlibet intemperiem, siuè simplicem, siuè compositā lędi posse memoriam, alijs namque per frigiditatem solam læditur, alijs per humiditatem solam, alijs per frigiditatem, & humiditatem simul.

Hoc supposito, respondetur dubitationi, omnibus his quibus per frigiditatem, & humiditatem simul cum humore excrementitio læsa est memoria, vtilis est confectio Anacardina si debita methodo propinetur, & securè ea vti possunt, nullum timentes incommodum in externis, aut internis sensibus, quin potius si ex hac causa sensus aliquis læsus est, vsu Anacardinæ perficietur, vt contingit literatissimo quodā Medico Toletano, qui amissum olfactum ex frigida, & humida intemperie cerebri, vsu Anacardinę recuperauit. Qui-

Quibus verò sola humoris, aut frigoris affluentia vitiatur, his si indifferenter, & sine aliqua correctione illius qualitatis, qua non indiget cerebrum administretur, exempli gratia, si habenti læsionem memoriæ à sola frigiditate non emendetur Anacardina, (& idem est de alijs omnibus medicamentis, quæ intus, & extra applicantur) quantum ad excessiuam siccitatem, læsio contingere potest in aliquo sensu interno, aut externo ratione excessiuæ siccitatis medicamentorum, & sic imminet periculum melancholię, quę ex siccitate sola morbosa procreatur, vt latè probat Magister meus Petrus Garcia Carrero lib. de locis affectis, disputatione de melancholia, cap. 2. ex hac causa factus fuit melancholicus iuuenis quidam studiosus pharmacopola immoderato vsu Anacardinæ. Deinde gustus lædi potest, adaucta multum siccitate defectu humiditatis necessariæ ad gustandum, nam organum gustus etiam si aqueum sit, vt supra diximus, ex Platone, & Galeno, & consequenter frigidum, & humidum, magis tamen est humidum quam frigidum, quod ex eo constat, quia rerum sapores non antea gustantur, quam illarum humor cum humore, qui est in ore, & in palato misceatur, & impertinenter se habent calor, aut frigiditas ad talem gustationē; vnde nimia siccitate habituali organum gustus indurescet poris cōstipatis, penitusque exhaurietur, & tum

&tum propter hanc causam, tum propter exiguam humiditatem, quæ à cerebro ad os, & palatum descendit, rerum sapores linguam minimè afficient: itaque gustus, haud paulò facilius, quam cęteri sensus externi lædi consueuit. Crescēte causa auditus, cuius organū, quia humidum est, & aëreum, nimia siccitate vi sua, ac facultate orbatur, constipatis, & induratis poris auditorijs, ita vt soni non possint organum penetrare, neque species soni etiam si penetrent in illo recipi. Propter eandem causam lædi potest olfactus, induratis carunculis mamillaribus, quæ sunt eius organum, & obstructis poris, per quos ipsi odores aditum ad organum habere solēt. Porrò crescente adhuc causa morbifica potest lędi visus conuulsis neruis opticis, & induratis à siccitate, sed nulla esse solet cerebri siccitas tam vehemens, vt illius causa visus lædatur, nisi prius sensuū internorum deprauata ruina antecedat, in quo casu tactus etiam læsionem patietur, defectu aduertētiæ distracta anima vehemētibus imaginationibus.

Quibus verò calidum est cerebrum, & solum ratione humiditatis vitiatur memoria, his si incōsiderate sine correctione excessus caloris Anacardina detur, imminet magnum periculum phrenitidis, aut maniæ inflāmatis cerebro, & sanguine, bileque accensa, & tunc lęsionem patientur imaginatiua, & ęstimatiua, quæ natura sua minorem petunt calorem,

rem, quàm memoria, & propter vehementem imaginationem, defectu aduertentiæ etiam externi sensus vitio afficientur, oculisque accidentia suffusionis contingent motis fuliginibus adustis ad illos, vt docuit Galenus. 4. de locis affectis, cap. 2.

Si tamen ad tantam intensionem non accedat calor, vt delirium inuehat, in tali euentu sensus exteriores potius perficientur; nam visus erit magis liber à vaporibus, quorum suffusione obtusus hebetatur. Ob eandem causam organum auditus sonis peruium erit. Olfactus instrumentum melius immutabitur ab odoribus, constat enim influxionibus catarrhalibus nimis humectato eius organo amitti olfactum. Tactus similiter, maiori influxu calidi influentis spirituum, qui in maiori copia generabuntur perficietur.

Dices, ex dictis sequuntur multa aliena à veritate. Primo, non posse lædi sensum aliquem exteriorem illæsis interioribus. Secundo, neque olfactum nisi vitiato prius gustu. Tertio, visum offendi non posse, quin alij omnes sensus offendantur, cuius cõtrarium verissimis exemplis sæpè numero contigisse fatemur.

Respondetur, si bene disposita sunt organa externorum sensuum, & debitis naturę suæ temperamentis instructa, ordine dicto sensus omnes læsionem patientur, si tamen aliqua debili, & prętẽrnaturali dispositione

positione afficiantur, fieri potest; vt intensa alteratione Anacardinæ, & aliorum medicamentorum lædantur prius externi sensus, quam interni, & ex externis hic, aut ille sensus, & non alter; hoc autem per accidens fit ratione dispositionis materialis organi, vt contigit causidico, cuius supra mentionem fecimus, qui habens calidas quasdam fluxiones ad oculos, vsu Anacardinæ ita denuo proritatæ sunt, vt fere in totum visu priuaretur.

Accedunt præterea, alia ad odoratum, quorum ratione frequentius patitur prius læsionem, quam alij externi sensus, nam teste Aristotele lib. de sensu, & sensi. cap. 4. & 2. de anima, tx. 29. debilior multo est in hominibus, quam in reliquis animantibus: propter quam causam vehementissimo odore pessulorum, & Anacardinæ facile corrumpitur, ea ratione, qua docuit idem Arist. 2. lib. de anima, c. 12. vehementia sensibilia corrumpere sensum.


Ad rationem respondetur, bene posse calefieri, & exiccari cerebrum habituali dispositione intra latitudinem sanitatis, in quo casu debili memoriæ subveniemus, nullum detrimentum reliquis sensibus inferendo.

Ad primam confirmationem respondetur, verum esse melancholiam morbum hac ratione excitari posse, tunc tamen latitudinem sanitatis excedit calida intemperies cerebri, & in hoc casu intelligendus

dus est Auicena agens de Anacardina, quando indebito modo datur, & cerebrum intense præternaturæ ordinem alterat; nos autem tali methodo illã damus, vt solùm sanitatis, & naturalis temperaturæ latitudinem attingat.

Ad secundam respondetur, quod licet verum sit quod à Galeno ex Platone refertur circa organa sensuum externorum (de quo disceptare pluribus non est huius loci; Legantur Vallesius. 2. controuersiarum, cap. 25. Petrus Garcia Carrero, fen. 1. lib. 1. doct. 6. cap. 5. disp. 45. qui latissimè probant quo sensu vera sit Platonis sententia) tamen ex dictis in solutione dubij primi constat, quo ordine, & quando externi sensus lædi possint.

Ad vltimam confirmationem respondetur, accidentia suffusionis, motis adustis fuliginibus ad oculos, solum fieri quãdo cerebrum extra latitudinem sanitatis male afficitur calore, qua ratione in phreniticis fieri docuit Galenus.



CAP.

CAPVT IX.

Iudicium de pessulis errhinis, qui pro restauratione memoriæ concinnantur.



Hristophorus de Vega. 3. lib. methodi, cap. 10. postquam memoriæ iacturam, ex quacunque causa ortam mirabili methodo curat, in fine capitis pessulum errhinum à se primo excogitatũ describit, quem ad hunc vsum summis laudibus extollit, & quia plurimum à litterarum alumnis celebratur, qui ingenti acuendæ memoriæ studio inflammantur, & nos etiam ad eundem finem vtile iudicamus, & eo vtimur, ante exibitionem confectionis Anacardinæ, sic placuit in præsentia ad verbum eius descriptionem, & methodum qua illo vtitur proponere verba autem sunt hæc.

R. Men-

R. Menthæ ſiccæ, pulegij, eufraſiæ, verbenę, ſeminis coriandri pręparati, adianti, ſingulorũ dragmam j. floris roris marini dragmam j. & ſemiſ. calami aromatici, & cinamomi vtriuſque dragmas ij. caryophilorum dragmam j. & ſemiſem, moſchi, & galiæ vtriuſque. g. vj. mellis Anacardini, & ſtyracis calamintæ vtriuſque dragmam ſemiſem.

Quę ex his triturationem patiuntur in pulverem tenuem redigantur, & omnia cum aqua ſtilatitia fœniculi in paſtillos conformentur, ex quibus peſſuli fiant ad formam nuclei palmulæ.

Cum opus fuerit, qui voluerit vti hoc medicamine, hunc ordinem ſeruabit; purgato prius corpore, quinquaginta noctes nihil aliud præter paſſulas cũ amygdalis paucis, & pauco pane cœnabit, prandiũ autem erit caro aſſa gallinæ, aut pulli gallinacei, turturis, aut perdicis, potus vinũ album vnius anni modice dilutum, ſingulis autem diebus prope horã ſomni peſſulum ſiniſtræ nari inſerat, & narem coto obturabit, ac ſic ſeruabit, & non vltra quàm decem carmina Virgilij recitet, ijs elapſis diebus peſſulum vnum recens confectum nari ſiniſtrę inferat, & ipſam coto obturet, deinde legat attentè, quę voluerit addiſcere per integram horam, aut etiam duas, deinde ſecluſo peſſulo dormiat, mane namque ſin-

gula quæ legit memoria tenebit, ita vt memoriæ tenacitate neminem parem inueniat.

Abstineat qui his pessulis vti voluerit,aut omnimodo memoriam seruare ab ebrietate,venere,cruditate ventriculi, & omni facietate, à fructibus viridibus,& oleribus,a lacte,caseo,& carnibus salitis, & omnibus flatum generantibus,a piscium fluuialiũ esu, anguillarum presertim, licebit tamen troctas degustare:nocent eisdem aquę potus,& vini copiosus. Postrema mensa coriandri semen pręparatum accipiet.

Si Dioscoridem,Mathiolum,Lacunam, Mesuẽ, Siluium,Manardum,VuecKerium,& alios omnes authores, qui plantarum, & simplicium medicamentorum historiam scripserunt consulamus, circa vires omnium simplicium ex quibus author hos pastilos componit,haud difficile erit intelligere singula medicamenta pollere magna vi calefaciendi exiccandi, & roborandi cerebrum, resoluendo simul,digerendoque crudorum succorum redundantiam,quæ bonæ memoriæ erat impedimento.

Methodus etiam,qua vtitur in applicatione huius medicamenti securissima est, nullisque exposita periculis, sequitur namque Galeni præceptum, 5.lib.method.cap.12. qui natiuas intemperies lente, & paulatim contrarijs qualitatibus aufert; sic noster Vega expurgato prius corpore, deinde ali-

mento exiccante,& calefaciẽte ſpacio quinquagin ta dierum corpus diſponit ad habitum,ſeu ad temperiem habitualem quam intendit producere; diximus autem ſupra, nihil eſſe quod æque poſsit corpora noſtra alterare, vel ad bonum, vel ad malum habitum,quam continuam victus rationem.

Similiter,omnibus his diebus exiguum temporis ſpacium, detinendis intra narem ſiniſtram peſſulis deſtinatur, vt paulatim aſſuefiat cerebrum calidæ, & ſiccæ alterationi. Præcipit vt in ſiniſtra potius quam in dextra inſeratur, tum vt per hanc melius exerceatur reſpirationis opus,tum quia dextra naris magis expoſita eſt ſanguinis fluxionibus, quam ſiniſtra, ob maiorem rectitudinem cum hepate, vt docet Galenus.3.lib.de criſibus,cap.3.&5.metho. cap.3.

Elapſis quinquaginta diebus purificato iam cerebro ab excrementis, & mediocriter calefacto, audacter peſſulum recens factum per maius temporis ſpacium, iterum nari ſiniſtæ inſerit, vt habitualem diſpoſitionem ad memoriam in integrum producat; Meritoque commendat abſtinentiam,ab ebrietate,venere,cruditate ventriculi,nam vt ſupra probauimus,hęc omnia memorię valde incommodant.



CAPVT X.

Qua ratione propinanda sit Anacardina vbi cerebrum frigidum & humidum est, cum redundantia pituitæ.



Nacardinam huiusmodi hominibus duntaxat cõuenire supra me morauimus, quorum memoria immodicò cerebri frigore,& humiditate, pituitæque affluentia læsa est. Cõsiderãda porrò multa sunt, quę in huiusmodi adhuc dispositionibus Anacardinæ vsum impedire possunt.

Primo, si aliqua viscerum flogosis, aut inflamatio sit, vt hepatis, lienis, renum, aut mesenterij.

Secundo, si laborant hypocondriaca affectione.

Tertio, si febribus obnoxi sunt, quemadmodum quidam esse solent, qui leui de causa febricitant.

Quarto, si facillimo negotio sanguinis fluxionibus corripiuntur, siuè ex naribus, siuè ex ore, siuè ex hæmorroydibus, aut vrinæ vijs.

Quinto,

Quinto,si vrinæ ardorem,seu stilicidium patiuntur,ex salsa pituita,aut bile.

Sexto,si debilem habent sensum aliquem exteriorem,precipuè ex causa calida,aut sicca.

Septimo, si laborēt aliquo morbo prurriginoso, cutaneo,vt scabie,psora,impectigine,&c.

His omnibus,etiam si aliàs frigidum habeant, & humidum cerebrum cum redundantia pituitæ,grauem aliquam ruinam, cum vitæ dispendio timere oportet,calida, & sicca alteratione huius efficacissimi medicamenti, & aliorum, quę cum illo ministrantur.

Tentata igitur prius memoriæ reductione ea methodo,& medicamentis, quæ abunde diximus c.6. si illa non sufficiunt, & cogitur medicus ad huius medicamenti præsidium confugere, huiuscemodi methodo Anacardinam propinabit.

Præcipiat denuo,vt spacio 50.dierum eodem potu,& alimento exiccanti vescatur patiens,& per decem,aut duodecim primos dies vtatur solum pessulis supra dictis cap.præcedenti, vt lenta alteratione amplius assuefiat cerebrum: vsus tamen illorum erit tempore somni,vt pręcipit Vega,aut inter diu etiam dummodo ventriculus crudo alimento non grauetur, ne calida alteratione cerebri, motis ad illum spiritibus vitalibus vitietur coctio: sit autem pessulus recens, vt maiorem exhalationem faciat

ad cerebrum,magisque diſponat calore, & ſiccita-
te; detineatur intra narẽ ſpacio dimidiæ, aut vnius
horæ legendo attẽtè,quę ediſcere voluerit per hoc
tempus,ita vt memoriam exerceat : his elapſis die-
bus ſummo mane corpore prius ab omnibus , alui,
& vrinæ excrementis liberato,expurgatisque cere
bro,& pectore tuſi,& emunctione,accipiat patiens
ſpacio viginti dierum Anacardinam hoc ordine.

Primis ſex diebus ſolùm deglutiat ſcrupulos ij
cum vntijs ij.vini decoctionis ſeminis aniſi,aut fœ-
niculi, vt pręcipit Arnaldus,aut cum decocto ſthe
cados, maioranæ , aut fœniculi ; his diebus elapſis
integram dragmam eodem ordine ſummat , aut in
forma pilularum,quæ formentur cum ſucco aliquo
ſeu ſirupo capitali,& hac ratione vtiliorem eſſe ex
ſtimo, eo quod in forma ſolida magis immorabitur
in ventriculo, & maiores fumos ad cerebrum mit-
tet,minusque hepar tranſcendet,& calefaciet.

Elapſo autem dimidiæ circiter horæ ſpacio ab
aſſumpta confectione,legat aliquid attentè, & me-
moriæ mandet, quod tamen prolixum eſſe minimè
conuenit,ne confundatur,&diſtrahatur,poſtea ceſ-
ſet à meditatione,& lectione, & quieſcat, aut pau-
latim dormiat , nam poſt meditationes plus valent
ſomnus, & quies quam importuna meditatio; pro-
lixa enim lectione,&meditatione defeſſa natura in-
genti labore,magna copia ſpirituum animalium, &
vita

vitalium diſsipatur, in quibus haud exigua pars ſpe cierum, quæ aſsidua lectione ſunt adquiſitæ ſubiec tabantur, quiete verò, & ſomno, vires reficiuntur, ſpiritus conſeruantur, & augentur, & natura recrea tur, quæ omnia multum ad robur memorię profi- ciunt.

Confert autem, non ſtatim ab aſſumpta confectio ne, ſed tranſacto aliquo temporis ſpacio, legere, & meditari, vt ſit tempus intra quod Anacardina in ventriculo actuetur, & alteretur, vt mittat fumoſas ſuas exhalationes ad cerebrum, quod non ita bene fiet, ſi ante actuationem opus memoriæ, & medita- tionis exerceatur motis ſpiritibus ad cerebrum, qui ſunt principale inſtrumentum coctionum, & alte- rationum, quę in ventriculo peraguntur.

Sit autem attentus medicus toto hoc tempore, & pluries ęgrotantem conſultet, ſentiat ne incom- modi aliquid tali medicamento, præcipuè poſtquā maiori doſi ſumpſit, vt ſi forſan capitis dolore ten- tatur, aut febre, vel aliqua alia intemperie calida, aut ſicca viſcerum, in quo caſu, vt ab eo abſtineat per duos, aut tres dies monebit: quibus elapſis ite- rum in minori quantitate illud miniſtret, quod ſi hac ratione nullum ſentiat incommodum, perſeue- ret per aliquot dies, & illis peractis iterum eodem ordine augeat quantitatem: quod ſi in minori quan titate idem incommodū ſentiat, ſummo ſtudio eam qua-

qualitatem corrigat, quæ valetudini ob esse videtur (modus autem corrigendi Anacardinam infra monstrabitur,) & iterum perseueret in eius administratione, aduertendo, quod si in minori quantitate datur, aut cum correctione opus est per plures quam 20. dies, aut 26. aut 30. eam summere, si tamē his peractis notabile adhuc damnum patiatur opus est ab eius administratione desistere, & alijs auxilijs minoris efficatię internis, & externis paulatim, & remissa alteratione memoriæ detrimentum curare, quorum copiam, cap. 6. retulimus.

Circunspecte sane, ac sagaciter procedendum est in administratione topicorum toto tempore quo Anacardina datur, ne multiplicatis calidis remedijs, ingenti alteratione caloris, graue aliquod malum superueniat, vnde paulatim solum, & sensim cerebrum alterare conuenit, vt sic melius assuefiat alterationi habituali, & temperiei, quam intendimus introducere: reliquis verò diebus, qui assumpta Anacardina supersunt vsque dum numerus, quinquaginta, aut sexaginta dierum compleatur, non cesset vsus topicorum, repetantur lauacra, vnctiones, poma, & alia auxilia, quę loco citato diximus, & si opus fuerit aliqua etiam leuis expurgatio per inferiorem alvum denuo tentetur, & quarto quoq; die multum iubabit sumere. g. ij. vel iij. castorei cū decocto fœniculi, aut melyssæ, vel cum vino decoctio-

coctionis anisi, aut scrupulos ij. vel iij. theriacę magnæ antiquæ, vel mitridati, aut diatryonis pipereon.

Tandem semper curet medicus introductam dispositionem conseruare debita ciborum, vitæque, ac medicamentorum administratione, ne iterum retrocedat, & memoriæ vis minuatur.

Transactis quinquaginta dictis diebus magnam curam habeat, qui memoriam fœlicem conseruare vult, tum in vitæ, & victus ratione fugiendo ea omnia, quæ memoriæ aduersantur, vt sunt crapulæ, copiosus potus aquę, venus immoderata, balnea aquę dulcis, alimenta humida, & similia. Tum etiam, firmiter seruet quasdam regulas necessarias ad memoriæ incrementum, quas in fine huius libri proponā.

SECTIO PRIMA.

Egenis scholasticis qua ratione propināda Anacardina.

DVbitabis merito, tuto ne, & vtiliter dari possit Anacardina nulla habita ratione horum omniū, quæ supra cap. 6. diximus, quæ sunt tot expurgationes per epicrasim, tot errhina, & apophlegmatismata, cerebri lauacra, odoramenta, & alia interna, & externa auxilia, quę omnia non nisi locuples, idemque, & laborum patientissimus adhi-

bere poteſt. Quid ergo ſubſidij erit egenis adoleſcentibus, qui amore litterarum ardẽtes memoriam augere cupiunt, neque tamen hæc omnia commodè exequi poſſunt.

Reſpõdetur, licet vtiliſsimum ſit hęc omnia Anacardinæ præmitti, quia corpus, atque adeò ipſum memoriæ organum, hoc modo melius, & ſuauius diſponitur, vt temperamentum debitum comparet, tamen ſi commodè fieri non poſſunt, hac methodo breuiori ſecuriſsimè ſumi poterit.

Conſulant prius medicum circa ſanguinis miſsionem ſi forſan laborant plenitudine, & ſi ita ſit, eius conſilio ſemel, aut bis mittatur ſanguis pro ratione plenitudinis, & virium, ex communi vẽna brachiorum, deinde paretur corpus expurgationi, per ſirupum ſtecados, aut cum melle roſaceo: accipiant ſirupum ſummo mane, & nocte tempore ſomni in quantitate duarum vntiarum, aut trium, ſine aquis, vt plus in ventriculo detineatur, & ipſum diſponat, maioresque fumos mittat ad cerebrum, poſtea purgentur pilulis cochis, ſine quibus, aut arabicis, aut aureis, iſte enim omnes eximiam vim habent ad pituitoſos cerebri humores exhauriendos; fiat etiam hoc conſilio medici, ne errent in quantitate, aut occaſione, aut modo vtendi; purgato autem corpore, paulatim corpus, & cerebrum incipiant calefieri, & exiccari.

Primo,

Primo, omnem repletionem vitent, & cruditatē; bibant aquam decoctam cum semine anisi, fœniculi, radice chinæ, aut smilace aspera, vinum sit bonū, tenue, album, & antiquum: spacio quadraginta dierum vtantur alimento supradicto, sed si præinopia perdices, turtures, atque eiusmodi alimenta obtinere non possint, caro arietina macra, & assa sufficit cum passulis, & paucis amygdalis in principio prādij, & in fine cum semine anisi, fœniculi, aut coriandri preparati: panis bene coctus existat, iura fugiāt, elixasque carnes; abstineant ab ebrietate, à venere, à fructibus viridibus, & oleribus, à lacte, à caseo, à carnibus etiam, & piscibus salitis, præcipuè verò ab anguillarum, & fluuialium piscium esse.

Præterea, vtantur pessulis spacio octo, aut decem dierum, & loco pessulorum vtilis etiam est pilula ex Anacardina naribus imposita, & lingua potest leuiter fricari eadē confectione, vt monet Lemnius lib. 2. de complexionibus, cap. 4. & postea Anacardinam eadem methodo per viginti dies sumant: sub inde nucem muscatam, aut salvię folium, aut nīcotianæ, aut granum mastychis in ore teneant, aut gūtam balsami roris marini, aut saluiæ supra linguam ponant, vt excitato sialismo purgetur cerebrum, & exsiccetur: odorēt etiam siccos flores sthecados, aut roris marini, aut calamum odoratum, aut casiam, vel aliquid ambrę, aut musci, & tempore somni ore

sumant:

ſumant aliquid theriacæ antiquæ, aut diatrionis, aut dia ambrę, & ab raſo capite in vnctiones fiant oleo aniſi, aut fœniculi, aut aqua vitæ, hac enim ſola methodo omiſsis alijs, miro modo memorię acumen multis reſtitutum fuit.

SECTIO SECVNDA.

Si nullum percipiant fructum vſu Anacardinæ quid faciendum.

QVia tamen aliquãdo vſu euenire ſolet, eos, qui Anacardina vtuntur nihil fructus percipere, ne tamen inde diffidant, ſed recordentur Hippocratis.2.aphoriſ.52. vbi facienti quod eſt conſentaneum rationi, etiam ſi non ſuccedat è voto, ſuadet non relinquere rem inceptam, ſed perſeuerare in ea inuicto animo: & ſic in tali caſu ceſſare oportet per aliquot dies, ſoliq; dietę, & memoriæ exercitio intendere, ſeruando regulas, quas in fine huius libri proponam, & poſtea iterum medicum conſulant, circa expurgationem denuo peragendam, ſi forte corpus pituita ob rutum ſit, & eadem methodo Anacardinam ſumant, peſſulisque vtantur; opus etiam eſt ſummo ſtudio inquirere, an dicta cõfectio facta ſit à perito pharmacopola, probæque conſcientiæ, & an ſit valde antiqua, vel ex lon-

lõginquis oris deuecta, nã si à duobus annis cõfecta sit, omnem vim temporis vetustate amisit, vt docet VuecKerius: cõstat etiã experiẽtia, si per mare deferatur ita vim suã amittere, vt in Indijs audeãt quotidie vntias duas Anacardinæ illius quę ex Hispania delata sit sumere; enim verò si recẽs sit, ante sex mẽses ministrari nõ potest, vt docẽt Mesues, & Arnaldus, nã ante hoc tẽpus excessiuo calore, & acrimonia febrẽ excitabit, defectu autẽ harũ cõditionũ medicamẽtũ hoc immerito quidem infamari solet.

Neque verò Anacardina sola ad restaurandã memoriã accõmodata est, sed plures alię confectiones sunt, quæ ad hunc finẽ maximè commendantur ab authoribus, vt trifera magna, diagalanga, diatrion pipercon, diarrhodon, theriaca magna, mithridaticum, & antidotum, quod multum laudat Arnaldus loco citato ex magistro suo; tum etiam, & puluis, quẽ Federicus Imperator fecit cõponere, de consilio multorũ medicorũ, cuius descriptionẽ adducit, etiam Arnaldus eodẽ loco; maximèque confert ex eodẽ Arnaldo, si detur ex Anacardis tritis dragm. semis. aut mellis Anacardini dragm. ij. hæc enim à proprietate recuperare memoriã docet: possunt autẽ dissolui in eisdem liquoribus, in quibus cõfectio Anacardina ministrari solet. Plura etiã alia cõposita medicamenta pro memoriæ restauratione adducit Mesue lib. 2. de egritudinibus capitis, cap. 23.

CAPVT XI.

Qua ratione corrigenda sit confectio Anacardina quando calore, aut siccitate lædit.



Aud raro accidit in vsu confectionis Anacardinæ, vt secũdum vnũ, aut alterũ excessum caloris, vel siccitatis detrimẽtũ aliquod sequatur, nã etiã si frigidis & humidis naturis tãtũ vtiliter propinetur, fieri solet, vt excessus frigiditatis supra humiditatẽ sit sensibiliter maior, vel ècõtra, in quo casu antea quã remissiorẽ qualitatẽ ad debitã proportionẽ reducamus merito timere oportet, ne intẽsiorẽ plus iusto augeamus, præcipuè si cerebri vitiũ cuius ratione memoria læditur, magis cõsistit in humiditate, quã in frigiditate, quia tunc tẽporis prius quã exsiccemus cerebrum tarda, & remissa actione siccitatis huius medicamenti, celeri, & intensa alteratione caloris, haud dubio læsionem patietur.

Si igitur sufficiẽter calidũ est cerebrũ, ita vt opus nõ sit amplius calefacere, sed solùm exiccare institũta prius victus, & potus ratione, quæ solũ ad exiccãdum,

dum,non verò ad calefaciendum dirigitur, Anacardinã,& alia externa auxilia,ita attẽperare oportet: ſingulæ dragmæ confectionis, poſſumus admiſcere ſcrupulũ vnũ,aut dragmã ſemiſem pulberũ diamargaritonis frigidi, aut dia corali, aut triũ ſantalorũ, vel trochiſcorum de ſpodio,aut de caphura,vel de berberis,& miniſtrare confectionem diſolutam,aut in aqua plantaginis,vel capituũ roſarũ,vel calybeata,aut decocta ſemine plantaginis,aut portulacæ.

Eadem ratione externis auxiljis hæc, vel ſimilia medicamenta permiſceri poſſunt.

Si verò tãtũ calefacere,non verò exiccare eſt in animo,aliquid dia traga canthi calidi,aut dia penidi,aut dia hiſſopi addere poſſumus, & Anacardinã cũ aqua maluarũ, glyceritiæ, aut prunorũ paſſorũ, vel mucilaginibus ſeminis citoniorũ liquare. Hac methodo facile erit,vnũ,aut alterũ Anacardinę, & aliorum auxiliorum exceſſum prohibere, vt eorũ malitia frenata ſecure propinari poſsit.

CAPVT XII.

De tempore magis oportuno ad exhibendam Anacardinam.

¶ Si calorem, & ſiccitatem conſideremus, quam

vſu huius confectionis deſideramus, oportuniſsimū eſſet ſtatis tempus; quia tamen nimius eſt tunc calor, & corpora ſunt reſoluta, atque imbecilla, multis periculis eſſet expoſitus, qui in tanta temporis intemperantia, tantoque corporis æſtu, calidiſsimo medicamento corpus moueret.

Hieme quamuis ſecurius calidiſsimam, & ſicciſsimam alterationem corpus pati poſsit, frigida tamen, & humida huius temporis intemperies, impedimento eſt rectè operationi huius medicamenti, & ſic minus vtiliter dari poteſt.

Quantum attinet ad autumnum, etiam ſi ratione ſiccitatis non incommodet Anacardinæ, non tamē periculo vacat tunc temporis calidiſsimo medicamento, corpus prauis ſuccis, ex aduſtione genitis refertum alterare, & forſan pernitioſam autumnalem febrem excitare.

Reſtat igitur, magis oportunum tempus vſui huius confectionis eſſe ver, vſque ad primam æſtatis partem, ver enim, vt docet Hippoc. ſaluberrimum eſt, & minimè exitiale, & quamuis ratione humiditatis aliquid poſsit impedire, quia tamen aërea eſt, & oleoſa humiditas illius temporis, non ęque aduerſatur optimæ memorię, vt ſupra probatum manet.

CAPVT XIII.

Regulæ necessariæ ad augmentum memoriæ.



T opusculum hoc completũ magis,& elaboratũ maneat, nihilque studiosi adolescentes, qui memoriæ augendæ appetitu inflammãtur expetant; placuit in hoc vltimo capite regulas aliquot,& præcepta necessaria ad augendã memoriã proponere, quas si obseruauerint, etiam si Anacardinæ,& aliorum medicamentorum, quę pro memorię recuperatione dicta sunt, periculum non faciant, magnum memoriæ incrementum indies sentient.

Prima regula sit, qui ingenij, ac memoriæ augmẽtum desiderant, animam suam primo ab omni malo,& spurcitia purgent, vt sic multis possint impleri bonis,& fideli, ac efficaci oratione, spiritum sciẽtiæ, ac sapientiæ à Deo petant; qua ratione consulit D. Thom. in epistola ad quendam suum Monachum, cui inter alia multa hæc dicit verba: [Quæ si visti a me qualiter intendere oportet in thesauro scientię acquirendo: hoc à me tibi datur consilium,

vt per ribulos in mare, & non statim in mare eligas introire; quia per facilia oportet ad difficilia peruenire, conscientiæ puritatem amplectere, & sanctorum, & proborum virorum vestigia imiteris; tardiloquum te esse iubeo, & tarde ad loquutorium accedentem, orationi vacare non desinas, cellam frequentare diligas, factis, & verbis sæcularium nullatenus intromittas, &c.]

Secunda, summa diligentia conandum est, vt intelligant, quę memorari volūt; neque ita curādum, vt multa legant, quā vt multa intelligāt; quod enim semel bene intellectū est, obliuioni omnino traddi, nunquam posse docuit Plato.

Tertia, ea memoriæ tradantur, quę non solùm vtilia sunt, sed & iucunda, nam quemadmodum alimenta suauiora, teste Hipp. 2. aphoris. 37. facilius in naturam nostram transeunt, & quęcunque cum voluptate assumuntur, ventriculum amplexari, eodem loco Galenus affirmat; sic quò auidius quid haustum est, eo diutius retinetur; voluptas enim, vt inquit Machrobius: [Rerum condimentū est, amoris esca, incitamentum ingenij, volūtatis pabulum, roburque memoriæ.]

Quarta, studium tantum sit vnius rei simplicis; natura enim nostra, eo quod limitatæ, breuisque virtutis sit, pluribus rebus intenta minus vni cuique attendet, & sic defectu aduertentię, & attentionis

ex parte animæ, etiam ſi rerum ſpecies producantur in memoria, non ita firmiter ſeruantur, vt cum illis bene poſsit operari, & ſi operetur, remiſſe, confuſe, & ſine ordine.

Quinta, ſtudium non ſit prolixum nimis, ne difficili, ac aſsiduo labore, memorię vis potius deperdatur, quam incremẽtum ſuſcipiat, vt contingit illi ſtudioſo viro, cuius meminit Galen. 3. lib. de locis affectis, qui ob laborem in ſtudijs, memoriam pene amiſsit, diſsipatis, & corruptis, magna ex parte ſpiritibus nimio ſtudio, & vigilia.

Sexta, poſt ſtudia grauia, aut ſeria, vel ſomno eſt indulgendum, vel ad grata, & leuiora confugiendũ, vt ad muſicam, vel hiſtoriam, nam tempeſtiua quies vires recuperat, alitq; & virtus maior eſt poſt oportuna otia, ſic Seneca in prologo declamationum: [Omnibus quidẽ prodeſt ſubinde animum relaxare. Exercitatur enim otio vigor, & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudij adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur.] Et Ouid. in epiſt. 4.

[Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra nouat.]

Et lib. 2. amandi.

[Da requiem, requietus ager bene credita reddit.]

Ludus etiã his vtilis, ſi ludus, ludus eſt, & non res ſeria, ſitque honeſtus, breuis, & ſine damno, vel dolo, aut cupiditate, & non ſit talis recreatio frequẽs,

aut diuturna,& horijs studij non agatur. Iterūque reparato cerebro veniendum est ad studia litterarum,ne tempus deperdatur,quo nihil amabilius; & curandum, vt magno studio, id quod deperditum est,resartiatur; quod eleganter Philelphus his prodidit versiculis:

[Ludus(crede mihi)nullus tibi pulchrior alter,
Nec melior quisquã,nec quo magis omnis acerba
Cura,laborque vacet,quam si virtutibus almis
Te penitus dedas,virtus leuat aurea curis,
Lætitiaque animum reficit,redditque beatum.]

Septima, multum confert ad memoriam, si quę leguntur,aut audiuntur,cum admiratione fiant, ob hanc enim causam pueri, etiam si humidi cerebri sint,magna pollent memoria; quia omnia illis noua insolita,& admiranda sunt. Vnde Quintilianus lib. 11. Orator. [Nos tenacissimi sumus eorum, quę à teneris annis percipimus.] Et Oratius: [Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.] Noua enim,& admiranda firmiores imprimunt species in memoria.

Octaua,quæ cum attentione, & voluptate à docto magistro audiuntur, aut in libris sapientissimorum virorum leguntur, firmiorem impressionem faciunt in memoria: sic D. Hieronym. ad Paulinum: [Habet nescio quid latentis energiæ viuæ vocis actus,& de doctoris ore in aures discipulorum trãsfusa

fusa fortius sonat.] Et Plinius secũdus epist. 3. lib. 2. [Multo magis, vt etiam vulgo dicitur, viua vox afficit, nam licet altiora sint, quæ legas, altius tamẽ in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiã dicentis affigit.] Hoc etiam voluit Martialis his versiculis:

[Multum (crede mihi) refert, à fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro, quæ stupet vnda lacu.]

Et Terentius: [Vbi intenderis ingenium valet.] Et Plato in thimeo: [Ego vt probum auditorem decet sine sermone sub silentio mentem, adque aures parabo.] Et Galen. 2. de motu musculorum: [Timidi, & ebrij non bene recordantur eorum, quę egerunt, quia animi vires minimè intenderunt.]

Nona, illa quæ memoriæ mandantur, ad breuitatem, & paucitatem, siuè compendium redigi oportet: vnde in omni doctrina breue aliquod, & certum colligendum est, quod in arcula memoriæ recondatur; multitudo namque causa est distractionis, & inaduertentiæ, inaduertentia autem efficit, vt parum firmę impresiones fiant. Vnde Seneca: [Necesse est breuia, & pauca esse, quæ memorari volumus.]

Decima, oportet super ijs, quibus incumbimus creberrime meditari; huius regulæ authores sunt Arist. lib. de mem. & reminis. c. 1. & Gale. 1. de anothomicis administrationibus. c. 2. hac enim ratione, & intensiores species illius rei, quam memoriæ manda-

mãdamus producũtur,&habitus memorię crescit.

Vndecima,ordo studijs adhibendus,rerum enim sine ordine merum chaos est,& in solo ordine sitam esse memoriam docebat Simonides ille, qui tanto fastu Athenis artem memorãdi professus est,vt docuit Cicero, & inter quatuor præcepta ad quæ artem memoratiuam D.Tho.redigit comm.in Arist. de memor.& reminis. [Primum est,vt studeat, quæ vult retinere in aliquem ordinem deducere.] Et S. Antonius Florentinus,p.4.tit.2.c.2. [Quæ homo memoriter vult tenere in sua consideratione, ordinate disponat. Nam ordo,vt docuit Aristot.vita est memoriæ.] Et Diodorus Siculus: [Ita pręcipuè arbitramur res memoria facile retineri, quando per sua veluti capita dispositæ finem principio adnexũ habent.] Vnde tractatus in capita, & capita in cõclusiones,& annotationes seccare oportet,iuxta id quod dixit poëta:

[Scire si vis hanc rem,tota sit separata minutim.]

Et postea singula sæpè repetendo,ita vt cum vnum caput,& sequens simul discitur,& primum,& secundum rursus animo sunt repetenda, & rursus cum tertiũ memoriæ mandatur à primo eodem ordine inchoandum,& sic succesiuè.

Duodecima,frequens, & diuturna, de eadem re cum alijs disputatio,vel alteri declaratio, vel interrogatio,vel responsio, vel de aliquibus rebus du-

bitatio,

bitatio, vel diſputare, aut docere ambulando, & mo uendo manus, multum valēt ad firmiores in memoria rerum impreſsiones, & ad habitus generationē, ſic præcipit Quintilianus in Orato. lib. 11. & Ariſt. (vt refert Laertius) deambulando cum diſcipulis, philoſophari ſolebat; & Alexandro ex morbo conualeſcenti, ac deambulanti, quædam diſerere, ac docere conſueſcebat, indeque dictus peripateticus.

Decima tertia, obſeruentur aliquæ conditiones indiuiduales, quibus res ipſa facile poſsit in memoriam reuocari, nam in ſola obſeruatione illarum, & in debito ordine rerum, quæ memorię commendātur, vt dictum eſt, ſita fere ratio eſt tota memorię artificialis, quam multi profitentur.

Decima quarta, verſus mandare memoriæ multum conducit ad fidelitatem ipſius, propter compoſitionis ordinem, & ſtructuram, vnde prius in ligata, & deinde inſoluta oratione addiſcenda, ſit exercitium, & aliqua omnino diuulſa, ac ſine numeris, & magis ab vſu remota addiſcantur, nam exercitium in difficilioribus, teſte Quintiliano, cauſa eſt vt leuius ſit illud ipſum cuius gratia exercetur; qua ratione athletę ponderibus plūbeis aſſuefaciūt manus, quibus vacuis, & nudis in certamine vtendum eſt, & gladiatores, vt inquit Seneca. 5. controuerſiarum: [Grauioribus armis diſcunt quam pugnant, diutius illos magiſter armatos, quam aduerſarius

riuſ

rius sustinet. Luctantes binos simul, ac ternos fatigant, vt facilius singulis resistant.] Et de Pythagora refert Mercurialis. 1. aphorism. cap. 1. priusquam discipulum aliquem erudiendum, & informandum susciperet, consueuisse ipsi aliquam rem faciendam difficilem proponere, vt facto illius ingenij, & voluntatis periculo, melius de eo suscipiendo decerneret.

Decima quinta, singulis diebus opus est aliquid memoriæ commendare, nam vt docet Quintilianus: [Nihil ęque, vel augetur cura, aut negligentia intercidit, ac memoria.] Et Seneca: [Dediscit animus sero, quod didiscit diu.] Et Lipsius ad Rephelengium: [At qui ingenium, vt ferrum esse scito: splédescet, si vtare, rubiginem contrahet, si recondes.] Et Plato frequẽter discipulis dicere solebat: [Otio labores anteponite, nisi forte rubiginem splendori præstare putatis.] Et Tulius de offic. lib. 1. Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum, sine vsu, & exercitatione consequi possunt. Vnde Salustrius in bello: Nemo vnquam ignauia immortalis factus est.

Decima sexta, ne studiosos deterreat erroris timor, nam fixius, & tenatius retinentur, quę cum rubore addiscuntur. Vnde Seneca: Memoriam nihil perdidit, nisi quod sæpè non respicit.

Decima

Decima septima, quæ memoria tenenda sunt non scribantur in libello memorabilium, nam librorum fiducia, causa est vt minus memoria exerceatur; vnde Antisthenes Atheniensis amico cuidam deploranti, quod commentarios suos perdidisset: [Oportuit (inquit) ista potius animo quã chartis inscribere.] Et de Socrate hæc refert Erasmus. 3. apophthematum. 88. [Vehementer officere memoriæ litteras, quas vulgus putat repertas iuuandę memorię causa. Olim enim homines, si quid audissent dignum cognitu, non libris, sed animo inscribebãt, hac exercitatione confirmata memoria, facile tenebat quidquid volebat, & quod quis sciebat in promptu; post reperto litterarum vsu, dum libris fidunt, non perinde studuerunt animo infigere, quod didicerant: ita factum est, vt neglecto memorię cultu, minus viuida esset rerum cognitio.] Eandem sententiam adducit ex Platone Quintilianus in Orato. lib. 11. Et de Portio Latrone narrat Seneca in proœmio declamationum, quod super vacuos sibi fecerat codices quoniam omnia cogitata in animo scribebat.

Decima octaua, animus abstrahẽdus est à multis occupationibus, prę sertim à re familiari, & illis omnibus, quæ studiũ nõ respiciũt, nã pluribus intẽtus, minor est ad singula sensus: vnde Auicen. 6. natural. [Egregia illis suppetit memoria; quorũ animæ multis nõ distrahũtur moribus, nec conuellitur cogitatio.

tio.] Et Quintilianus,lib.11.inOrato.[Ad optime ediscendum animũ ab alijs cogitationibus liberum esse oportet.]

Decima nona,non solum sunt audienda, sed etiã videnda, quæ volueris memoriæ mandare, nã quæ videntur magis memoriæ imprimuntur,quam quæ audiũtur; visus enim multum valet ad memoriam, vt constat exemplo rusticorum,qui vias, & viarum diuerticula,si semel vident firmiter memoria tenẽt: quod idem brutis accidit.

Vigesima,vires memoriæ, & ingenij perpendantur,nec plus illi ingerant, quã semel capere posit, aut tenere;sumpto ab stomacho exemplo,qui si supra vires oneretur,debilior fit;vnde defectu coctionis nõ in pinguatur corpus gulosi.Et Oratius:[Sumite materiam vestris, qui scribitis,ęquã viribus.]

Vigesima prima,tempora studio decreta nulla ratione deserẽda sunt; sint autem hæc precipuè,quando ventriculus à cibo est vacuus;tempore namque quo celebratur coctio, cerebrum crasis vaporibus obruitur,eius cauitates obstruuntur, & spiritus animales quasi suffocantur, impediturque transitus illorum, ad penetralia cerebri, & ratione huius indispositionis organum memoriæ non benè instructum est,vt operetur; vnde tanquam quid rarum, & prodigiosum de Portio Latrone, refert Seneca loco supra citato: [Quod post cœnam lucubrabat, nec

nec patiebatur alimenta per stomachum, per somnum quietemque equaliter digeri, sed perturbata & dissipata in caput agebat: itaque & oculorum aciem confuderat, & colorem mutauerat.

Vigesima secunda, vesperi quotidie, quid discendo quis lucratus fuerit repetat, ad exemplũ Catonis, qui quidquid in die legisset, fecisset, & dixisset, in crepusculo commemorabat.

Vigesima tertia, tãdem inter infœlices dies illum computare oportet, in quo aliquid memoriæ non commendatur, vt dies nulla sit (vt in adagio est) sine linea. Vnde Quintilianus supra citato loco: [Si quis tamen vnam maximamque à me artem memoriæ quærat, exercitatio est, & labor, multa ediscere, multa cogitare, & si fieri potest quotidie.]

CAPVT XIIII.

Regulæ ad facilitandam reminiscentiam.

PRima regula, qui facilius reminisci voluerint, ex consequentia, ex ordine, & connexione reminiscibilium, id consequentur, nam vt docet Arist. lib. de memoria: [Quæ bene inuicem ordina-

dinata ſunt, bene reminiſcibilia ſunt, quæ verò male difficulter, in memoriam reuocantur.] Facile enim geſta recenſemus, quando eo ordine in oratione collocantur, quo facta ſunt, nam eodem modo ſe habent tales res in mouendo animam, ac ſe habent inter ſe.

Secunda, à loco, à perſona, à tempore, in quo res acta eſt reminiſcentia contingit, nam locus, & tempus facile rem adducunt in memoriam.

Tertia, à ſimili in conſimile, vel à contrario in cõtrarij cognitionem deſcendant, ſic docuit D. Tho. in Ariſt. de memoria, & reminiſcentia, lectione 6. his verbis: [Homines de facile per mentis quãdam euagationem de vno veniunt in aliud, ratione ſimilitudinis, aut contrarietatis, aut propinquitatis, ſicut ſi cogitemus, aut loquamur de lacte, de facili perueniemus in album, propter lactis albedinem: Et de albo in aërem propter claritatẽ diafani, quæ cauſat albedinem: & ab aëre in humidum, quia aër eſt humidus. Ab humido, aut peruenitur ad reminiſcendum temporis autumalis, quod quærebat ratione contrarietatis, quia hoc tempus eſt frigidum, & ſiccum.]



FINIS.



INDEX OMNIVM RERVM, ET VERBORVM, QVAE IN HIS DVOBVS LIBRIS CONTINENTVR.



A

INDEX.

Ani-

INDEX.

me-

INDEX.

B

Bru-

F

G

La-

INDEX.

Mithri-

tabat.

INDEX.

tere

FINIS.


NGB
LRF
M
D